pulcherrimum pudoris florem flaccidum efficiendum, cujus immortale decus, tot licet obices adverſarentur, ſervavit. Pactum cum oculis percuſſum, ne unquam illos figeret in objecta, quæ cor illius corrumpere poterant, illi æque ac S. Job, fuit inſtrumentum glorioſi triumphi, quem de voluptatibus retulit; triumphi, quem numquam deſtitit, quominus precibus ſuis a Deo peteret, ſciens voluptatem eſse ex eo dæmoniorum genere, quæ nonniſi in jejunio & oratione extruduntur. *Auctor Recens.*

Admirabilis S. Ludovici attentio in corruptione fugienda. Præclarum ejus dictum ad aulicos.

Teſtatur Scriptura, Dei timorem eſse initium ſapientiæ, eumque etiam vitæ fontem appellat animas a morte præſervantem. Hoc non latebat S. Ludovicum, cum leproſum videns, cujus corpus univerſum turpi hoc morbo infectum a capite ad pedes jam unum dumtaxat ulcus evaſerat, aulicis ſuis affirmavit illud ſpectaculum horrentibus, ſe malle videre carnem ſuam exteriori hac lepra corruptam, atque depaſtam, quam vel minima lepræ ſpiritualis, peccati mortalis labe animam ſuam fœdatam. Præcautiones, quibus ad crimen evitandum utebatur, verborum ſinceritatem probabant. Mundi Salvator dixit, eos, qui in domibus Regum ſunt, mollibus indui; ſed ecce Regem, qui cilicium tegens purpura totum ſceptri pondus manu altera ſuſtinet, altera vero ſtringit chriſtianæ mortificationis gladium, ac ſe in regni ſolio muniens, quod omnium voluptatum centrum eſt, contra formidabilem hunc inimicum, qui & ipſi Divo Paulo in curſu Apoſtolatus ſui glorioſiſſimi timorem incuſſit, hunc adoritur, & inceſsanter oppugnat, terribili præcinctus orationis, & jejunii armatura. Cur nequeo illum vobis exhibere chriſtianis exercitibus imperantem? provectiori ætate prima virtutis ſuæ prodigia inſtaurantem, & in heroici zeli ardore primum illum adoleſcentiæ ignem repetentem! Sed ad breve temporis ſpatium hæc relinquamus prælia, commodiori tempore reſumenda, poſtquam locuti fuerimus de iis omnibus, quæ præceſſerunt, & de primitiis zeli illius, de quibus mox ſumus locuturi. *Specimen Panegyricorum.*

S. Ludovicus regnare cœpit ſubigendo rebelles, & præbendo præclara ſuæ fortitudinis ſpecimina.

Sanctus noſter, & adoleſcens monarcha ſenſit coronæ ſuæ pondus, ex eo momento, quo eadem fuit redimitus, agnovit laboris difficultatem, & uti Salomon petiit a Deo Sapientiam, quæ cum ipſo ſuos labores conſociaret. Primæ veritates, quas didicit, fuerunt, quid ipſe deberet Deo, tamquam homo, quid populo ſuo deberet, quatenus Rex. Primæ illius cogitationes extiterunt, Regnum ſuum beatum efficere, & ſemet Sanctum. Primæ illius actiones fuerunt opera clementiæ, atque juſtitiæ, & regnare cœpit ſacrificans requiem ſuam, & propriam objiciens vitam, ut civilibus bellis finem immitteret. Numquid vobis exhibeam funeſtam imaginem pupillaris ætatis, & regiminis undique oppugnati? Num vobis ob oculos ſtatuam fatale diſſidium, quod zelotypia, & imperandi libido excitarunt primis regni ejuſdem temporibus? Viſi ſunt Principes boni publici cauſſam prætexentes ad arma confugere; Angli in ipſum uſque Galliæ ſinum effuſi; Regis auctoritas violata, ſubditi oppreſſi, & Regnum hoc olim florentiſſimum jamjam ceſſurum in prædam externorum inimicorum, & domeſticorum. Quæ vaſtitas! Ludovicus, quin carnem, ſanguinemque conſuleret, quin ætatem ſuam cauſſaretur, quin temporum incommoda, & belli pericula reformidaret, in aciem egreditur, Dei exercituum opem implorat, proficiſcitur ad hoſtes conquirendos, impugnandoſque: ſed fallor, proficiſcitur ad ſubditos ſuos ſublevandos, eiſque pacem reddendam poſt unius prælii victoriam. Hic divino protectus auxilio, & magis juſtitiæ cauſſa, quam propria ductus utilitate, terrorem hoſtilibus copiis, & agris incutiens palam oſtendit veram pietatem non eſſe veræ virtuti contrariam, & difficillimas quaslibet victorias non eſſe niſi prima eorum experimenta, quos Deus ipſe ad bellum erudit. Ibi viſus eſt virtute ſua ſupplere virium ſuarum paucitati, ſolus totum ſuſtinere pondus exercitus, tueri pontem Talleburgi fortitudine magis admirabili, quam ea, quam vetus Roma jactavit, & ea operari, quæ temeritatis poſſent redargui, niſi Dei ſpiritus nonnumquam ſupra communis prudentiæ & virtutis regulas attolleret magnas animas, quas ad ſuperbiam, & rebellionem hominum infringendam deſtinat. *Flechier.*

Regnum S. Regis turbis miſceri cœpit. Ille vero eas ſedat.

Non ſingulare divinæ Providentiæ conſilium eſt permittere, ut Regum plerique regnum ſuum turbis agitatum inveniant. Accidit hoc cum minor adhuc eſſet S. Ludovicus; quippe ejus primordia fere generali defectione tentata fuerunt. Quinque Principes qui ſe ipſos in totidem Regulos erigere appetebant, contra Blancæ Caſtilienſis regimen fœdus percuſſere. In illam excitati ſunt calumniatores. Inſurrexerunt in regni turbines quidam qui abſtulerunt recti itineris aſpectum ſapientioribus, qui in communi eorum vita ſatis recte incedebant. Color Regi operam præſtandi, illos in diverſa pertrahit, contra illum ad arma concurrunt, ſed pro eodem ſe arma capeſſere ſimulant: Ut illius auctoritatem reſtituant, illam conantur evertere, & publicam tranquillitatem perturbare. Liceat per te mihi Domine ſciſcitari, utrum permittas, ut optimorum Principum regna idem ducant initium ac regnum David, ex diſſidiis, ut profundæ paci finis imponatur; an potius periculoſis id genus experimentis populos erudire velis, ut contra propria pugnent bona, Regum ſuorum partem deferentes? An vis Reges docere, illos non niſi per te regnare poſſe, neque ſolium ſuum confirmare niſi per divinæ tuæ providentiæ ſubſidium? S. Ludovicus, ut ſuum confirmaret, adhuc adoleſcens arma cepit, & omnia inimicorum ſuorum machinamenta diſjecit. Ipſe ſolus cum domo ſua bellum ſimul intulit quinque Principibus, non ſecus ac olim Abraham perſecutus eſt quinque Reges opibus ſolius familiæ ſuæ. Diceres illum hujus ſibi exemplum ad imitandum propoſuiſſe. Fratrem Alphonſum, quem agnoſcere populi detrectabant, ut Abraham fratrem ſuum, reſtituit. Ex quinque regulis illis quatuor perdomuit, & pepercit quinto, qui illam ejuravit hæreſim, cujus antea ſe patronum eſſe jactitaverat. Nonne hæc eſt imago veteris illius Patriarchæ, qui Reges quatuor occidit, & quinto veniam, vitamque largitus eſt? *Sermo Manuſcriptus.*

S. Ludovicus nunquã niſi pro Religione populoque tuendo bellum geſſit.

Sanctus Ludovicus fuit Princeps bellicoſus, & magnanimus; ſed bellis minime ſe implicuit cæco motu militaris affectus, qui juvenum corda trahit. Non crediſſet ſe citra crimen ſibi promereri poſſe Victoris famam excidio provinciarum ambitioni ſuæ immolatarum. Quemadmodum David effudit aquam de ciſterna, ad quam tres fortiſſimi Iſrael per Philiſthinorum caſtra cum vitæ periculo haurienda erant profecti, S. Ludovicus perhorruit bibere ſanguinem Populi ſui in diſcrimen adducti, ut inanis gloriæ ſitim extingueret. Arma cepit, ut throni ſui aſſereret jura, vel ut illatas Salvatori ſuo contumelias ulciſceretur. Omnia hæc bella juſta fuerunt, ſancta, & neceſſaria. Numquid vobis exhibeam Tholoſæ Comitem ad Sancti Regis pedes Albigenſium hæreſim deteſtantem, & obſtinatum hoc impiæ ſectæ caput, quod zelo Herois noſtri exarmatum ſe ſe ad Crucem, ac Religionem tuendam devovet, cujus hoſtis erat incernecinus? Num vobis hunc Regem deſcribam ſolum totius exercitus hoſtilis impetum ſuſtinentem in ponte, quem virtutis ſuæ teſtem fecit, nonniſi aliquot horarum intervallum interſerens inter hoc adeo memorabile factum, celebremque victoriam, quæ Angliæ Regem profugi inſtar coegit mare traducere, quod non ita pridem triumphantis inſtar araverat? Poſſem quoque illum oſtendere ſuperbo Cæſari Friderico legem indicentem, qua coactus fuit reparare contumeliam Eccleſiaſticæ purpuræ illatam in perſona Præſulum Galliæ, quos captivos fieri juſſerat, ac factum ſuperbi Imperatoris terrorem, qui totius Europæ terror evaſerat. *Ex Specimine Panegyricarum Orationum.*

Singulare fortitudinis exemplum.

Jure, equidem fateor, Sapientes Ethnicorum fortitudinem, animumque conſtituerunt in rebus difficillimis aggrediendis, & moleſtiſſimis perferendis: neque mihi arduum, multique laboris opus eſſet probare hunc ſtrenui, fortiſque Herois titulum in Sancto Ludovico, cui quos hac in re pares inveniam, ſunt perpauci. Etenim quin vos morer de bellis, quæ illi ſuſtinenda fuerunt in ipſo Regni ſui meditullio, ubi ejus virtus inter ditionis ſuæ motus, ac turbas enituit, ac præſidium nacta eſt, dicam ſolum, illum Regnum ſuum propugnantem ſummæ fortitudinis ſpecimen edidiſſe, quam deinceps protulit in Salvatoris regno tuendo. Quandoquidem inſigni bellicæ virtutis prodigio, quod vitæ ejus hiſtorici ſatis admirari non poſſunt, ſolus in ponte Talleburgi ſuſtinuit omne robur Anglici exercitus ea firmitate, qua cohibuit furentem illam Septentrionalium populorum colluviem, quæ jam Galliæ impendebat, & quæ deinceps prope fuit ut fortiſſimos illius ſecum traheret ſucceſſores. Profecto unica ſimilis actio præſtitit, ut gregarius Romæ miles inter celeberrimos heroas locum aſſequeretur, ita ut Roma vetus nihil hoc glorioſus jactare valeat: quid hic de Rege noſtro dicendum erit? Numquid illi locum inter ſtrenuos viros non inveniam, qui centum id genus actionibus claruit? Sed illud tanquam Sanctum, non autem gentium domitorem prædico &c. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Ludovicus penitus delet hæreſim Albigẽſium.

Sicuti Sancti Regis noſtri Regnum fuit regnum pietatis, ita prima ejus expeditio fuit, primi hujus officii executio. Hoc armatus gladio, quo nonniſi juſtitiæ, & Religioni inſervit, primum uſus eſt ad ſcindendum velum, quod ævi ſui Hæreticis veritatis lucem auferebat. Sæculum jam exceſſerat, ex quo in hoc regno impia, & rebellis ſecta convaleſcebat; quæ cum libertatem a nemine pendentem profiteretur, non defuerunt Principes quidam facinoroſi, & potentes, qui ſe illius capita profeſſi ſunt; cumque hominibus licentiam omnem permitteret, Sectatores illi deeſſe non poterant. Hydra fatalis! quæ mortalibus confoſſa vulneribus a pluribus Galliæ Regibus rurſus naſci videbatur, & quæ tandem potenti ſauciata manu, quam ipſe Dominus erudierat, acceſſit ad throni ejuſdem pedes moritura, quam toties evertere fuerat conata. *Abbas Mongin in Academico Sermone.*

Tanta licet eſſet Regis noſtri bellica virtus, proprius illius character erat lenitas, & clementia.

Lenitatis, & manſuetudinis ſpiritus, quem fidelibus inſpirat Evangelium, virtutem ejus non minuit. Nullus unquam Princeps animam habuit ſimul pacatiorem, & bellicoſiorem. Haud ægre dimittebat injurias, quibus ipſe tantum laceſſebatur, ſed adverſus Religionis, vel Reipublicæ hoſtes ingenitæ ſibi clementiæ obliviſcebatur, & virtuti ſuæ aurem præbebat. Viſus eſt hic Princeps eadem die ſuum ducens exercitum, præſtabat enim ceteris procero corporis habitu, & oris majeſtate, in ponte ſuſtinere ſolus totam Anglorum aciem apud Talleburgum, licet plus quam centum milites contra unum pugnarent; & eadem die viſus eſt Princeps victor oblivioni dare imperioſæ Reginæ facinus, eique ferme ingratiis gratiam largiri ſuam, quam ne deprecaretur, ſuperbia prohibebatur. *P. Cheminais.*

Procul a ſuperbia, atque oſtentatione, quæ principum ſæculi natura videtur, æque humilis eſt ac minimus e plebe.

Ne minima quidem ambitionis, vel ſuperbiæ ſuſpicio deprehenſa fuit in actionibus Sancti Regis hujus, ſicuti neque umbra

umbra oſtentationis in verbis, aut in agendi, aut loquendi cum quopiam ratione. Non pudebat illum palam prodire cum veſte ſimplici, & ſequioris notæ. Non dedignabatur cum quoquam mortalium ſine fuco habere ſermonem. Infirmioribus indulgebat ſumma cum bonitate, quæ omnium amorem ſibi conciliabat, & ſemet humiliandi occaſionem ſumebat ex ipſis rebus, ex quibus alii vanitatis anſam arripiunt. Verum eſt non defuiſſe Reges, & Principes, qui omnibus Aulæ commodis abrenuntiarunt, ut latentem inter clauſtra vitam degerent; & ex Sancti noſtri Majoribus adfuiſſe, qui vel poſſeſſionem, vel ſpem regni abjecerunt, veluti Lotharium, Carlomanum, & alios, qui hac in re videntur Chriſtianam humilitatem perfectius exercuiſſe; hæc, fateor equidem, ſingularis fuit magnorum Principum gloria omnia propter Deum reliquiſſe; ſed præterquamquod Sanctus noſter centies hoc iniit conſilium, quin illud exequi poſſet; & quotieſcumque conatus eſt Dominicanæ, vel Franciſcanæ familiæ nomen dare, toties Deus illi non dubie ſignificavit, ſibi placere, ut eſſet Rex; illud fecit quod ex S. Bernardi ſententia infrequentius, & difficilius eſt, videlicet Religioſi humilitatem cum Regis pompa, & majeſtate conjunxit. Quod ſi minus illi ceſſit e voto, abjicere dignitatem, quam nativitas ſua illum retinere cogebat, eam ſaltem detrectavit, quæ eidem ſuperaddi per electionem debebat; cum nunquam accipere paſſus fuerit Imperium, quod Pontifex, omneſque Chriſtiani Principes in Lugdunenſi Concilio per Friderici depoſitionem deferebant. Qua in re præclarum vobis proponam problema, cujus deciſionem vobis relinquo; ſcilicet qua in re magis eluceat generoſitas Chriſtiana, quæ ab humilitate ſeparari non poteſt; num in oblato honore detrectando, an in modeſtia ſervanda in eo, qui poſſidetur; ut hujus fiat uſus ſecundum fines Dei, atque officii ſui Canones. Multa eſſent in utramque partem diſputanda, equidem ſcio. Pluſquam humano conſilio opus eſt in refutando bono, quod alii vitæ cenſent præferendum: ſed vi prorſus divina opus eſt, addunt alii, ne vento ambitionis evertaris, qui in Principum cordibus tot excitat procellas. Videre gloriam quodammodo inhærentem Regiæ dignitati, & illam nihiloſecius fugere; hoc ſane eſt habere cor regale majus, & oſtendere non deeſſe mentis nobilitatem glorioſiorem, quam ſanguinis. Sed jugiter vivere cum inimico adeo jucundo, & ad fallendum, atque illiciendum apto, & nunquam falli, neque vinci; probatiſſima opus eſt virtute, quæ neque in cæleſtibus Angelis reperta fuit. Chriſtiana tantum humilitas tantum moderationis inſtillare poteſt. Quaſcumque partes in quæſtione hac ſequaris, in S. Ludovici laudem convertam, & deciſionem expectans, illi utriuſque ſententiæ laudem conferam. Omnes conatus ſuos exercuit, ut abrenuntiaret dignitati, quam nativitatis jura illi contulerant; & conſtanter detrectavit primam terrarum dignitatem, ad cujus onus capeſſendum aptiſſimus cenſebatur. Sed humilitatis Chriſtianæ triumphus in tanto Rege hic eſt, ut cum alteram detrectaverit, alteram vero abdicare nequiverit, ſervaverit cor Regis, & Chriſtiani, quæ duo ſimul eſſe non poſſe docebat Tertullianus, hoc eſt cor humile in altiſſimo eo gradu, ad quem vel genus, vel meritum valeat quempiam extollere; hac in re arboribus ſimilis, qui altius in terram jaciunt radices, cum vertex earum ſublimius in cælum attollitur. Hic humilitatis Chriſtianæ triumphus poteſt appellari, quæ licet non ſolita pompa ſit amicta, eſſe tamen poteſt exemplo ſtatibus omnibus, & conditionibus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Regis hujus pietas & devotio.

S. Ludovicus Regias ædes in orationis domum converterat; inter maximi momenti negotia, ut plurimum ſacris Eccleſiæ officiis intererat, & ſecutus exemplum Regis Prophetæ licet negotiorum multitudine premeretur, pluries in ſingulos dies pietatis tributum offerebat. In caſtris etiam, & in exercitibus Tabernaculum, quod illi parabatur, erat ſpecies Sanctuarii, ubi divina aſſervabatur Euchariſtia. Qua pietate non aperuit ſuæ parcitatis theſaurum, ut Byzantino Imperatore ſanctam redimeret coronam, pro qua omnes terrarum coronas dediſſet, & qua cum humilitate geſtavit illam capite, pedibuſque nudatis in auguſtum Templum, quod ad illam ſervandam ædificaverat, ubi in hanc quoque diem illam veneramur? Teneræ pietatis ſenſus fovens ſe ipſum exinanibat coram terribili Majeſtate Dei: genibus in terram poſitis, oculiſque demiſſis in ſpiritu & veritate illum adorans, dum ſacra fiebant ſimilis viginti quatuor ſenioribus Apocalypſios coronas ſuas ad Agni pedes abjicientibus, in ſacrificium offerebat Deo thronum ſuum, Regnum, vitam, atque perſonam. Nunc illum vidiſſetis nudatis pedibus ſollemnibus ſupplicationibus aſſiſtere, & pro peccatis populi ſui ſacrificium offerre Deo, quem ſuis nunquam læſerat. Nunc inveniſſetis illum noctu in ſancto Sacello ſuam miſcentem vocem cum cantu ſacrorum Miniſtrorum, cum hoc tamen diſcrimine, quod illos prævertere conſueverat in his pietatis exercitiis; cum enim primus illuc oraturus ingrederetur, nonniſi noviſſimus egrediebatur. Mirabile eſt intueri Sanctum hunc Regem, cui ingentis regni cura erat demandata, qui domeſticis externiſque curis obrutus erat, cui potentes extrinſecus minabantur finitimi, & quem intus rebelles ſubditi oppugnabant; tamen mentem ſuam, animumque erga Dominum ſuum convertere. Fatigatus negotiis, quæ tractat, diſtentus curis, quibus occupatur, impeditus periculis, quibus ſeptus eſt, id quod aliis argumentum eſt evagationis, vel criminis, in virtutis materiam convertit: cogitat Deo dare, quod debet, minus utens auctoritate ſua, ut ſibi obediatur, quam ut auctoritas Dei, a qua illam accepit, colatur, ambulans in innocentia cordis ſui in medio domus ſuæ. Poſt hæc audebimus oculos noſtros in noſmetipſos convertere? In noſmet, inquam, qui in precibus adeo ſumus diſtracti, adeo languentes, ac frigidi in noſtris pietatis operibus? in nos, qui coram Deo accedimus ea immodeſtia, & evagatione, de qua jure conqueri poſſet quilibet, cui parum aliquid dignitatis ineſſet, ſi coram illo eodem in ſtatu accederemus? in nos, qui noſtra negotia, & ſæpe etiam voluptates noſtras cauſſamur, ne de Deo cogitemus, & ne illi noſtra adhibeamus obſequia. *Ex Patre Bourdaloue, & ex elogiis hiſtoricis.*

Ejuſdem argumenti.

S. Rex noſter omni tempore, omnibus in locis orat, & Deus invenit in illo Regem ſecundum cor ſuum, a quo in ſpiritu, & veritate adoratur. Nullum eſt templum, nullus dicatus Deo locus, ubi ſuam non offerat orationem cum pietate, ac humilitate publicani, ac reverentia digna Majeſtate Dei, qui ibi præeſt. Clam orabat cum eo ardore ac pietate, quam actio omnium ſanctiſſima flagitat. Ibi Deus ad Ludovici cor loquebatur, & Ludovicus ea qua fieri poterat, maxima cura Deum audiebat. Ibi Deus Ludovicum erudiebat, quomodo coram ipſo ſe ſe humiliare deberet. Ibi Ludovicus ſe humiliabat, & exinanibat coram Deo, qui ſe propter illius amorem exinaniverat. Orabat palam ita pie, ac devote, ut hac actione non ſolum eos, qui aderant, ædificaret, ſed illis etiam eamdem pietatem inſpiraret. Mundi Principes, quibus veſtrorum officiorum exercitatio ſolatium potius eſt, quam ſeria occupatio; & qui nunquam, vel raro a labore ad preces gradum facitis; nunquid non formidatis vos aliquando cum Sancto hoc Rege comparandos, atque damnandos? Late patet regni Dominum, omnibus publicis curis onuſtum, non occupationes throni, non vigiliæ, non labores, non domeſtica negotia, non externa, non pericula, quibus obnoxius eſſe poterat, prohibere potuerunt, quominus conſuetis vacaret pietatis exercitationibus, quominus tribueret ſuarum precum obſequium Deo, licet ampliſſimas prætexere poſſet cauſſas, ut ſtatis ſaltem temporibus ſe diſpenſaret. Vos autem arbitramini aliquot horarum ſpatium, quod fortaſſe huic exercitationi, ac pio muneri impenditis, ſatis eſſe, ut illud obiiſſe, dicamini; vos ducitis minimum quodvis negotium, vel officium, ſimplicem viſitationem perſonæ alicujus modo non familiariſſimæ, legitimam eſſe cauſſam propter quam ab oratione ceſſetis? Quam uberem meditationis materiam Chriſtianus Princeps haurire poteſt a Regis hujus exemplo, omnia pietatis officia obeuntis ea ſedulitate, ac vigilantia, qua religioſiſſimus quilibet Cœnobita! Quoties pertæſus ejus fortunæ, cui mortales invident, in throno ſolitudinem concupivit? Niſi lumina ſua eorum ſubjeciſſet luminibus, qui ejus conſcientiam moderabantur, Mundo præbuiſſet exemplum Chriſtiani Principis regnum abrenuntiantis, adeo modico in diſcrimine terræ hujus honores habebat, omnem felicitatem ſuam reputans ſi familiariter cum Deo ſuo verſaretur, ſi per orationem ſe ſe cum Deo ſuo conjungeret; ita ut de Sancto hoc Rege liceat affirmare, quocumque in ſitu deprehenderetur, vitam ejus jugem orationem fuiſſe. *Auctores varii.*

S. Rex in eo totus eſt, ut magnis æque ac imis jus dicat ſine perſonarum acceptione.

Inter ampliſſima, & maxime neceſſaria Principum munia, non extremum eſt populis jura dare. Regius Propheta nihil enixius a Deo precabatur, quam judicium ipſius, & Salomon cordis docilitatem flagitabat, & ſcientiam, ut bonum a malo ſecerneret, & ſecundum ſcientiam hanc populum ſuum judicaret; & S. Ludovicus hanc facile principem regni ſui curam eſſe arbitratus eſt. Ipſe audiebat, ad examen vocabat æquitate ſua lites populi ſui. Ædium ſuarum aditus patebat omnibus, qui illius præſidium implorabant. Non videbantur circa illum ſatellites in ſeipſum formam in varios ordines poſiti ad pavidos perterrefaciendos, vel ad removendos importunos. Non erant vel munuſculis deliniendi, vel precibus flectendi cupidi, vel inexorabiles janitores. Nullum erat inter Regem, ſubditoſque vallum, quod abjectiſſimus ex populo ſuperare non poſſet. Non expectabatur, quænam cujuſque ſors eſſet futura ad valvas ſuperbas, quæ identidem pandebantur non quidem ad excipiendos, ſed prohibendos illos, qui flagitarent admitti. Non alia opus erat commendatione, vel præſidio, quam juſtitiæ: titulus hic ſatis erat, ut ad Regem aliquis admitteretur, illius indigere patrocinio. Jucundum ſpectaculum eſt ſibi fingere hunc optimum Regem, qualem nobis exhibent hiſtoriæ, in Vincenniarum nemore ad earum arborum umbram, quibus tempus pepercit innocua ſolatia ſua interpellantem audire querimonias, & recipere ſupplices libellos ſubditorum ſuorum. Summi & imi, divites & pauperes omnes ad illum uſque penetrabant indiſcriminatim tempore jucundiſſimo deambulationibus ſuæ. Nullum erat diſcrimen inter horas otii, & negotii. Tribunal ſuum, quocumque pergeret, ſequebatur illum. Ad frondentium ramorum umbram & in congeſto ex ceſpitibus ſolio, non ſecus ac ſub aureis laquearibus Aulæ ſuæ, & Tribunali liliis ornato, ſine clamore, ſine favore, ſine perſonarum acceptione, ſine tergiverſatione ſua proferebat judicia & oracula cum auctoritate, æquitate, & amore; ſimul Rex, Judex, & Pater. *Flechier.*

Ejuſdem argumenti.

Nonne dignum Deo ſpectaculum erat, hominibus vero jucundiſſimum videre bonum hunc Regem eo in habitu, quem nobis deſcribit hiſtoria, ad arboris radices ſedentem

in Vincennianum ſeptis, & propria manu viduarum, & orphanorum ſupplices libellos excipientem, conſolantem mœrentes, audientem pauperes, & indiſcriminatim omnibus jus dicentem? Illic ceſpititius tumulus erat pro tribunali, quod ſimplicitate ſua præ Salomonico erat venerabilius. S. Ludovicus ita operabatur beneficæ caritatis cauſſa, cujus officia licet ſummi laboris, illi tamen oneroſa non erant. Tenebat ſe Deo factum pro populo ſuo, non autem pro ſe populum ſuum, & hac mente non ſolum ſe benemereri, ac quod ſuum erat exequi exiſtimabat, ſed gaudebat etiam conſecrare huic populo ſibi divinitus credito, non ſolum ſolertiam, & requiem ſuam, verum etiam curas omnes, vigilias, & ipſam valetudinem, ſe beatum exiſtimans, ſi tot laboribus efficere poſſet, ut ſummi æque ac imi in perfecta tranquillitate, & conſenſione viverent. *P. Bourdaloue.*

Idem argumentū aliter pertractatum.

Horror, quo Sanctus hic Rex injuſtitiam proſequebatur, admirabilem illi zelum infundit, ut eam prohiberet. Sedulo ſubditorum ſuorum cauſſas cognoſcere cupiebat, & ubicunque illas inveniret, dirimeret. Mirum erat ſpectaculum intueri ad arborum umbram Vincenniis ſine ſatellite, ſine militum apparatu, qui populis metum incutit, ſubditorum ſuorum controverſias audire, viduam, & orphanum tueri, pauperem a divitum oppreſſione liberare, ſuiſque non uti miniſtris, niſi ad eos admittendos, qui illius ope indigebant, eoſque ſingulos ex ordine introducendos, ut ſingulorum querimoniis aurem præberet. Erubeſcite hoc intuentes Judices terræ, qui omnem pauperibus aditum intercluditis, qui vultis, ut integros perdant dies, ut illis ad breve temporis ſpatium aures adhibeatis; qui illos tantum ad loquendum admittitis, poſtquam illis nobilem, ac divitem prætuliſtis. Sanctus hic Rex nullam habet perſonarum acceptionem; ſola veritas apud ipſum locum habet, ſecundum hanc litem dijudicat. Quoties ille ipſe populi ſui cauſſas cognovit ſedens ad quercus umbram, ſubdolas litigantium artes a neceſſariis judiciorum formulis ſecernens, & veritatem a calumnia dignoſcens, æque fere voti compotes dimittens, & illum qui judicio victus, & illum qui victor diſcedebat? quoniam utrique perſuaſum erat Deum ſupremum mortalium omnium Judicem per os Regis Sancti, communis utriuſque parentis fuiſſe locutum. Ejuſdem intentionis, ſed potentior, quam Job, nonne, ut ille, liberavit pauperem, qui clamabat, & pupillum, cui non erat adjutor, ut de divitis illos opprimentis manu ſurriperet, replens conſolatione cor viduæ, & illius, qui jamjam interiturus erat, eum benedictionibus cumulans? Nonne fuit, ut ille, oculus cæco, pes claudo, excuſpens publicanorum, feneratorum, tabellionum, malorumque Judicum faucibus prædam? *Auctores diverſi.*

In idē argumentum.

Quodnam eſt glorioſius Regum, & Judicum terræ munus? Hoc ſane eſt populis jus dicere. Quinam eſt thronus magnificentior? tribunal, de quo jus dicunt. Quodnam eſt S. Ludovici Tribunal? ceſpes in quo ſedet ſubditorum ſuorum querimonias auditurus, ubi, quin ab aliquo præveniatur, brevi dirimit lites, quæ vix ante Judicum majora ſubſellia intra plures annos dirimerentur. Satellites quibus ſtipatus eſt, quin ſemoveant ſupplices, libellos ſuos oblaturos, immo illis aditum præbent, ut ſinguli ex ordine accedant; atque ut quis ab hoc populi parente æquis auribus excipiatur, ſatis eſt, ſi opprimatur ab aliquo. In ſancta hac occupatione tranſigebat tempus remiſſionis animi ſui; tempus, quo Rex throni majeſtate ſemota cum ſubditis ſuis familiariter, tanquam cum filiis Pater verſari conſueverat: tempus, quo catervatim glomerabatur multitudo populi, qui illum cum admiratione audiebat, & quem ille ſine animi emotione, ſine æquivocis, ſine mora, ſine tribunali, & ſine conſilio judicabat. At hujus egebatne? quandoquidem inter ſapientiſſimos Regni ſui Magiſtratus, quos ipſe elegerat, ille unus aliquando diſcrepabat. *Sermo Manuſcriptus.*

Zelus juſtitiæ eo uſque progrediebatur, ut propriam ſacrificaret utilitatem tum æquiſſime illam tueri poterat.

Zelus, quo Sanctus hic Monarcha juſtitiam perſequebatur, adeo rectus erat, ut de juribus ſuis coarctandis, potiuſquam proferendis eſſet ſollicitus. Sanctus hic zelus centies illum impulit, ut Judices conſtitueret qui litem inter ſe, & populum dirimerent. Nonne contra propriam utilitatem pro adverſario ſuo peroravit, & veneratus eſt juſtitiæ veſtigia in lacero Comitis Campaniæ Normanniæ titulo, quem univerſum Galliæ conſilium æqui bonique faciendum eſſe negabat? Voluitne unquam Epiſcoporum Regni ſui amplecti ſententiam de publicatione bonorum eorum, qui anathemate perculſi fuerant, ut inde ei ſuppeteret, unde in eleemoſynas erogaret, nequaquam ratus Deo jucundum eſſe poſſe, ſi miſeri exuerentur, ut veſtibus eorum induerentur adverſa fortuna jactati? Qua cura ſarciebat damnum, quod exercitus ſui in tranſitu ſuo urbibus agriſque inferebant? Præſul, & Quæſtor illos ſubſequebantur, ut fieret reparatio, quæ ut plurimum populorum querimoniam præcedebat. Longe alius a filiis Samuelis, non excitabat populi murmur, & querelam per avaritiam; immo vero inimicorum etiam ſuorum admirationem ſibi rectitudine, & æquitate conciliabat.

Juſtitiam erga barbaros ſervat.

Vos non latet proculdubio, extrema adactum neceſſitate, ubi e carceris ſqualore evaſit, omnem impendiſſe curam ut Saracenis ipſis ingentem perſolveret auri vim, qua Præfecti ſui infideles illos fraudaverant in ea ſolutione pecuniæ, de qua inter illos & Sanctum Regem convenerat. O admirabilem cordis rectitudinem! O inviolabilem fidem! Quam rara es in hoc ſæculo, qui fideliſſimi ſunt, ſatis eſſe putant, ſi ipſi non fallant, quin ſæpius religioni ſibi vertant, ſi ex dolo fructum percipiant. *Auctor recens.*

Idem argumentum.

S. Rex amore ſingulari proſequebatur juſtitiam, & admirabilem conſcientiæ religionem. Hæc juſtitia, quæ generatim virtus eſt omnium Chriſtianorum, & quæ Regum præcipue eſſe deberet, ſingulariter fuit verus S. Ludovici character. Noſtis, cum noſmet alienis immiſcemus negotiis, quorum arbitri fuimus electi, nobiſmet religioni, immo etiam voluptati vertendum eſſe, integerrime, ac æquiſſime judicare; ſed perraro accidit, ut ſimiliter affecti ſimus, cum de juribus noſtris, propriiſque commodis agitur. Rationes, colores, veriſimilitudines, omnia conferunt, ut nobiſmet litem adjudicemus, & amor proprius, qui nos quocumque ſubſequitur, his in occaſionibus ſemper nobis blanditur. Verum ſi præter illud ſtudium, quo ſemper cauſſam noſtram præ aliena meliorem exhibere conamur, alii ſuffragatores accedant; multo magis raro uſuvenit, ut ipſi contra nos ſententiam feramus non ſolum contra noſtra præjudicia, noſtramque utilitatem, ſed etiam contra aliorum conſilia, & rationes. Hoc tamen præſtitit S. Ludovicus in gratiam Provinciarum Normannicæ Campaniæ, Comitatus Atrebatenſis, & Flandriæ. Fecit tamen in cauſſa æquivoca, ubi attrita Chirographa, & deroſi, & fere obliterati Codices erant ſpes univerſa Comitis Normannicæ Campaniæ, qui illis innixus petitionum ſuarum jura confirmare ſatagebat. Se ſe in quibuſdam tantum caſibus juſtitiæ regulis ſubjicere, in aliis vero illarum perfringendarum facultatem ſibi vindicare; juſtum eſſe in alienis negotiis, & injuſta quærere temperamenta in illis, ubi res agitur noſtra: tota cum diligentia, & ea, qua fieri poteſt cura, lites ad examen vocare, ubi quidquid decernatur nihil in Judicis cedat utilitatem, & nonniſi oſcitanter, obiterque adverſarum partium in perſonali contentione jura diſcutere; habere pondus, & pondus hoc non eſt juſtitiam induere, S. Gregorius Pontifex inquit, ſed illam abjicere. S. Ludovicus adeo abhorrebat ab hac iniquitate, ut cum de alienis ageretur negotiis, mallet potius ſacrificare ſua in partium adverſarum gratiam, quam conſcientiam ſuam vel minima injuſtitiæ labe fœdare. *Elogia Hiſtorica.*

Ejuſdem argumenti.

Quantumvis juſtum ſit Principum jus, S. Ludovicus illud coarctare potius, quam ejuſdem proferre fines ſtudebat. Sæpe judices elegit, ut res ſuas in eorum manibus collocaret; & ne aſpectu ſuo ſuffragiorum libertatem minuere videretur, ut plurimum incipiebat ille in Conſilio ſententiam propriæ cauſſæ contrariam proponere. Nemo illi melius adulari poterat, quam ſi contra illum pro juſtitia in populi ſui vel ſubditi alicujus favore ſtare profeſſus eſſet. Immo ipſe ſolus nonnunquam contra univerſum Concilium ſuum adverſarii ſui cauſſam tutatus eſt, quod accidit in Comitis Trecenſis negotio, a Rege ſancto Comitatum Dammartini depoſcentis. Tituli, quos proferebat Comes peſſime ſarti erant, Signum confractum, eſſentialia verba vel deleta, vel deroſa. Omnia Conſilii ſuffragia titulos hos nequaquam admittendos cenſebant; unus S. Ludovicus contra ſe ipſum tulit ſententiam. Congregati omnes Regni Antiſtites auctores illi fuerunt, ut publicaret bona eorum, qui a fidelium communione diſceſſerant, ut ea in eleemoſynas impenderet, & in varia Caritatis opera, quæ aggreſſus erat. Quid aptius eſſe aut fingi poterat, ad Principem hunc tanta caritate refertum permovendum! Qui hac pœna erant plectendi, homines erant, quibus Eccleſiaſticæ cenſuræ turpitudinis notam incuſſerant. Qui hujus erant Auctores Conſilii, Regni ſui Præſules erant: quid validius, ad omnem religionem auferendam? Tamen neque illius erga pauperes amor, neque ſuum erga Epiſcopos obſequium illum in hanc mentem impellere potuerunt, ſed anathemate perculſis ſpatium reliquit ſeſe excuſandi, & Eccleſiaſticis locum præbere noluit auctoritate ſua abutendi, quæcumque cauſſa prætexeretur. *P. Cheminais.*

Religioſus S. Ludovici zelus pro juſtitia.

Pro totius terrarum Orbis imperio noluiſſet S. Ludovicus violare vel minimam juſtitiæ particulam eo uſque, ut quodam die in Conſilio ſuo deliberavit, utrum Anglis cedenda eſſet pulcherrima, & uberrima Regni ſui Provincia, metuens, ne Reges deceſſores, qui illam fuerant adepti, non uſi fuiſſent eo jure, quod ipſe inquirebat in bellis a ſe ſuſcipiendis. In juſtitiæ hujus adminiſtratione, non ſatis erat illi integerrimos judices, & omnium judiciorum, quæ ferebantur, ſedulo rationem exquirere; ſed ipſe ille, quin aliis rem hanc vellet committere, judicem ſe conſtituebat in pauperum cauſſis, veritus ne non ſtatim abſolverentur; & narrant hiſtorici, neminem unquam cum Rege conqueſtum fuiſſe de acceptis injuriis, vel de potentiorum oppreſſione, quin hic illi ſtatim in arena jus diceret; nonnunquam in conclave ſuum diſſentientes partes admittens, ut per otium utrarumque rationes cognoſceret, eaſque decretorio judicio dirimeret: & quaſi natus non eſſet niſi ad ſubditorum ſuorum commodum & tranquillitatem, efficiebat, ut ſua etiam ſolatia, & quietis horæ aliquid publicæ tranquillitati conferrent. Cum enim ad Vincenniarum nemus ſe conferebat, populum certiorem fieri volebat, & illi, quibus lis erat, illuc proficiſcebantur, ibique ceſpite in tribunal erecto, cum veteres ad ſortes recipiendas in lucos pergerent, ibi S. Regis excipiebantur Oracula, qui adverſarios interrogabat, probationes ac teſtes ad examen vocabat, & ferebat ſententias quæ æque juſtæ habebantur, ac ſi fuiſſent de cælo dilapſæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Omnibus ad illum patebat aditus.

Sanctus hic Rex tantus erat æquitatis zelator, ut omnibus indiſcriminatim ad eum pateret acceſſus, ſive divites eſſent, ſeu pauperes, nobiles, vel plebeji. Paratus erat ſemper ad miſerorum querimonias excipiendas; nullum unquam ab illis oblatum libellum ſupplicem rejecit; & quantumvis eſſent miſeri, qui ad illum confugiebant, nunquam illis aures non adhibuit, etiam in agris, & cum maxime quietis indigeret. Illis totum quod petebant, tempus largiebatur. Imprudentiæ atque temeritatis eſſe dicebat aliquot ſolum momenta præſcribere elucidationi negotii alicujus, cujus plerumque magnitudo ignorabatur; præſertim vero cum patientia juſtitiæ pars ſit, & præſtet pati, quod miſeri dicant inutilia, quam prohibere, ne dicant neceſſaria. Minimas res etiam eadem cura excutiebat, qua graviſſimas, ratus juſtitiam, quæ ubique tota eſt, nihil non magnum eſſe in iis, quæ ad illam pertinent. Ita ille dies integros traducebat in exhauriendis cauſſis miſerorum, qui ad illius ædes tanquam ad juſtitiæ templum confluebant. Hanc illis exercere quibuſque voluptatibus præferebat, immo etiam aliquando neceſſitati ſeſe cibo reficiendi. *Chriſtiani Sermones.*

S. Ludovici zelus pro juſtitia effecit ut ab externis litium ſuarū arbiter eligeretur.

Zelus juſtitiæ Regis noſtri, non ſolum amorem, & exiſtimationem propriorum ſubditorum, verum etiam alienigenarum ſibi conciliaverat. Erat ille in mundo Chriſtiano mediator, & conciliator litium omnium, quæ inter coronata capita oboriebantur; qui honor ſecundum S. Pauli regulam, ab eo neque quærebatur, neque vindicabatur, ſed libero finitimorum Principum conſenſu illi deferebatur. At hujus conſenſionis quænam erat cauſſa? celebritas probitatis, æquitatis, & incorruptibilis integritatis, ita ut omnes ad illum tanquam ſupremum Arbitrum confugerent, cujus judicia tanquam Oracula, ac definitivæ ſententiæ habebantur. Profecto Pontifex, & Imperator Fridericus in reciproca jura contentiones habent, quibus diffident? Ab utroque S. Ludovicus eligitur Judex futurus. Henricus Angliæ Rex adverſus ſubditos ſuos iratus, jamjam indignationem, ultionemque ſuam exerciturus eſt? Illum placat S. Ludovicus, boniſque officiis ſuis prohibet civile bellum, quod Angliæ impendebat. Inter Britanniæ ducem Navarræque Regem interniciosa oritur inimicitia? S. Ludovicus illos per conjugium componit, atque conciliat. Alius quilibet, quam S. Rex, quin ſe ſe his immiſceret negotiis ad finem illis immittendum, ea fovere non dubitaſſet, ut inde proficeret; quod etiam Conſilii Miniſtri Ludovico ſuadebant; ſed pius Rex habebat intra ſe conſilium ſecretum, conſcientiam ſuam, quam in omnibus conſulebat, vel ad quam cetera quæque conſilia referebat. Conſilium politicum, conſilium bellicum, conſilium Ærarii; hæc audiebat omnia, ſed illorum monita ad interius hoc referebat conſilium, ubi ſolus cum Deo deliberabat, & ubi ſolus cum Deo de rebus omnibus ſtatuebat.

Idem argumentū aliter.

S. Rex extremo juſtitiæ ſuæ zelo pacem in Regno ſuo conſtituebat; verum etiam ſibi gloriæ vertebat cum finitimis Principibus perfectam ſervare concordiam; in quibus ſimulac aliquam ſimultatis cauſſam deprehendebat, nihil inauſum relinquebat, non laboribus, non curis, neque pecuniis parcebat, ut inter illos gratiam ſarciret. Pontifex, & Cæſar duo erant irreconciliabiles inimici; quæ illi non iniit conſilia, ut eorum animos conciliaret? Quot labores non ſuſtinuit, ut duas inter has irritatas poteſtates æquam ſemper lancem teneret? Si ille Summo Pontifici tutum perfugium concedit, quis non crederet, S. Ludovicum palam ſe Friderico inimicum profiteri? Verum ſimul per celeberrimam generoſitatem cujus non extat exemplum, Imperium pro ſe, & pro Atrebatenſi Comite fratre ſuo recuſat. Poteſtne Fridericus non admirari facinus adeo generoſum? & callidior politica aptius excogitare conſilium poteſt, ut ſibi utramque partem neutra læſas conciliet? Princeps Edmondus Eduardi Regis Angliæ filius, & Carolus Andegavenſis S. Ludovici Frater uterque ad Siciliæ Regnum aſpirant. Periculum eſt, ut Anglia hac de cauſſa bello civili ſe immiſceat inter Regem, & populos ejus filium ſuſtinentes. S. Regis Conſiliariis hi tumultus arrident, Regemque hortantur, ut inde fructum velit percipere. At quid pius Monarcha reſpondet? Hæc ratio, inquit, non bene conſentit cum J.C. præceptis dicentis, Beatos eſſe pacificos. *P. Cheminais.*

S. Ludovicus juſtitiā erga alios ſervabat eamque ſervari ſibi admittebatur.

S. Ludovicus a ſe nequiſſimum crimen patratum fuiſſe arbitraretur, ſi quid vel minimum domi ſuæ haberet alienum: noverat tamen ſuum viciſſim repetere jus, cum aliquid ſibi vel a ſubditis, vel ab alienis deberetur. Ita Rex Angliæ, qui meditabatur aliquot ſibi vindicare provincias ad Galliæ Coronam pertinentes, & qui Gallorum defectiones armis, præſidiiſque juvabat, a S. Rege fugam capeſſere coactus eſt, qua die ad Talleburgum pugnatum eſt, quod prælium tanquam ſpecimen eximium virtutis bellicæ Regis noſtri, in illum omnium externarum nationum oculos, & admirationem convertit. Quæſivit Germania fœdus illius, & Fridericus Imperator coram illum adiit de hoc fœdere cum ipſo verba facturus. Italia ex eo petiit Ducem Andegavenſem fratrem ſuum, qui Neapolis, Siciliæque thronum repleret; & pro alio ejuſdem Fratre Roma illi obtulit Imperium. Denique Europa tota illum reſpexit tanquam ſæculi ſui Heroem, & invidere videbatur Galliæ felicitati; quæ ſumma, ac lætiſſima pace perfruebatur propter tanti Regis curam, atque ſapientiam. *Sermo Manuſcriptus.*

Sicuti cum aliis ſedulo juſtitiā ſervabat, eamque ſibi quoque reddi volebat.

S. Regis noſtri zelus non minus in eo poſitus erat, ut in Regno ſuo bonus ſervaretur ordo, & ut omnes illi obedirent, eumque obſervarent, amarentque, quam in eo, ut juſtitia, quam diligentiſſime ſervaretur. Noſtis quo pacto Principes ſubditos ſuos ad debitæ ſubmiſſionis officium revocaverit. Marchiæ Comes auſus fuerat jugum excutere: liquet, quo ejus audacia ceſſerit, & quanti illi ſteterit in prælio ad Talleburgum edito, cognoſcere, quanta eſſet S. Ludovici virtus, & quantum ille poſſet. Armoricæ Britanniæ Dux alterius conjurationis caput extitit; non latet, quanti hoc illi ſteterit fœdus, & quomodo inutilis illi fuerit Anglorum fides, atque protectio contra S. Regis juſtitiam. Aula Romana novis quibuſdam contentionibus aliqua ex parte labefactare conabatur Regni jura; non fugit quanto ardore S. Ludovicus ſe geſſerit, ut jus ſuum tueretur. In ejus hiſtoria non deſunt authenticæ probationes. Ceterum quomodonam illi patrocinabatur non ſine admirabilis auctoritatis, & pietatis temperamento? Videlicet Coronæ ſuæ jura aſſerebat tanquam Rex & tanquam Eccleſiæ filius primogenitus. Tanquam Rex cum auctoritate, tanquam Eccleſiæ filius cum ſpiritu religionis & pietatis; oſtendens palam ſe quatenus Regem nullum in terris Superiorem agnoſcere, & non niſi a Deo uno pendere; quamvis quatenus primogenitus Eccleſiæ filius ſemper præſto eſſet, ut Eccleſiam tanquam Matrem & audiret, & coleret. Nunquam Rex ſubditos habuit magis dociles, magiſque dicto audientes: cur autem? Quia nullus Rex unquam in gradu eminentiori poſſedit virtutes omnes, quæ populorum reverentiam, timorem, amoremque conciliant. Verum eſt cæleſtium rerum, necnon Evangelicarum veritatum meditationem ſolas fuiſſe regiminis ſui regulas; & ſi perpendimus, quomodo re adhuc integra Regni ſui tumultus compeſcuit, quomodo callidiorum verſutiam fefellit, quomodo potentiorum robur attrivit, quomodo bellum geſſit, quin populo officeret, quomodo ſolium ſuum confirmavit, quin conſcientiam ſuam læderet, quomodo omnium ſibi timorem conciliavit, quin ulli eſſet detrimento; facile licebit arguere politicam illius divinam potius fuiſſe, quam humanam. *Bourdaloue, & Novet.*

Zelus juſtitiæ effecit, ut venales magiſtratus antiquaret.

Sicut venalitas Magiſtratuum, quibus judicii ferendi facultas eſt omnium ferme in re publica malorum cauſſa, pius Monarcha ſtatuit omnino antiquandam conſuetudinem hanc, per quam aditus in forum patebat inſcitiæ, & malis graviſſimis: hæc enim venalitas illos introducebat in juſtitiæ Sanctuarium, quibus plus erat auri, argentique, & inde ſemovebat eos, quibus meritum erat, ſed opibus deſtitutum. Noluit Sanctiſſimus Rex ultra proſtare jus decidendi de bonis, & vita ſubditorum ſuorum. Miniſtrorum turba de judicandi jure invicem diſceptantium prohibebat, ne jus diceretur; vel ſaltem erat in cauſſa, ut lites in æternum producerentur. S. Monarcha ad has moras auferendas, & has judicum contentiones pauperibus adeo noxias evertendas præcepit, ut unus tantum Judex de omnibus negotiis decideret; ſed honorem hunc altiſſimæ virtuti voluit deferendum, & probitatem magis perſpectam, & exploratam unicum eſſe titulum, per quem aliquis ad hunc honoris apicem eveheretur. Nihil tam vulgare, & commune erat, quam videre Judices diteſcentes, & immenſa prædia adquirentes titulo Juriſdictionum ſuarum; qui poſtmodum fiebant tyranni, & nonniſi illis, qui ſibi erant accepriſſimi, jus dicebant. S. Rex, ut horribilem hanc æquitatis inverſionem prohiberet, edixit, ne infelices hi Judices novis adquiſitionibus locupletarentur, alioquin honoribus omnibus exuendi.

Scita S. Ludovici inſtituta ad imperii ſui regimen.

S. Ludovici curæ non morabantur in eo, ut juſtitia viciſſim redderetur; ejus Sapientia ſeſe extendit ad Regnum diverſis ſanctionibus formandum, quas ille ſapienti hac prævidentia conſtituit in omnibus Provinciis, & quas in tota Gallia firmiter voluit ſervari. Ille primus aleam interdixit, tanquam præcipuam blaſphemiarum, & juramentorum cauſſam; ille primus uſuram Edictis proſcripſit; ille primus duellorum furorem compeſcuit; & infames declaravit publicos gladiatores, qui honoris apicem in turpiſſima actione conſtituunt. Ut verbo me expediam in hoc regno nullæ ſanctiores ſunt leges, quam quæ ab ipſo irrogatæ fuerunt; nullæ magis piæ conſuetudines, quam illæ, quas ipſe invexit eo conſilio, ut ſubditi ſui tanta cum tranquillitate viverent, ut facilis eſſet conjectura, illum excitare voluiſſe alios Principes, ut & ipſi certatim ſubditos ſuos regerent, & hoc pacto in Europa tota pax diuturna vigeret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Ludovicus regni ſui finem ſibi propoſuit gloriā Dei.

Religio ſemper extitit cauſſa, propter quam S. Ludovicus operatus eſt; & Dei gloria ſcopus fuit regni ſui, cujus priores annos conſecravit ad hæreſim Albigenſium exterminandam; quæ minoris ætatis ejuſdem beneficio abuſus videbatur, ut convaleſceret. Sed Princeps hic, qui ſemper tamquam hoſtes ſuos Dei inimicos cenſuit, illos non deſtitit perſequi, niſi antea illos penitus deleret, devicto Tholoſano Comite, qui ſe hæreſis illius Caput fuerat profeſſus eoque iterum in Eccleſiæ ſinum redire coacto. Deinceps blaſphemia, quam Sanctus quidam Pater hæreſim linguæ nuncupat, quemadmodum hæreſis eſt blaſphemia cordis, fuit objectum zeli Principis hujus religioſi, qui ferrum & ignem adhibuit, efficiendo, ut blaſphemis lingua & labia perforarentur candenti ferro, quin unquam ratio haberetur dignitatis eorum, qui de hoc ſcelere convicti erant, & quin ſe alicujus precibus, lacrimiſque flecti permitteret, reſpondens illis, qui de tanta ſeveritate conquerebantur, ſe quo-

que libenter hanc ſubiturum pœnam; cum per violentum hoc remedium certus eſſet ſe curaturum malum adeo periculoſum, & blaſphemias e regno ſuo proſcripturum. Poſſumne hoc in loco quærere, ubinam ſit zelus magiſtratuum, qui licet Regum perſonam repræſentent, non ſecus ac Reges Dei, privata conſilia Religioni cenſent anteferenda. Pro Regis utilitate fortaſſe zelo ſuccenſi ſunt, & ne minimum quidem paterentur verbum, quod illius honori adverſaretur. Neque dixerim eos eſſe improbandos: ſed ubi ſunt Magiſtratus, qui tantumdem habent zeli pro gloria Dei? Quot illi ſunt qui ſæpe blaſphemias audiunt, qui legum auctoritatem adhibeant? Tamen illis perſuaſum eſſe debet, Regno nihil utilius eſſe, quam ſi Deo ante cetera fideliter deſerviatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Idem argumenti aliter.

Nihil magis videtur divinæ gloriæ oppoſitum, quam blaſphemia, & Judaiſmum; hic negat divinitatem Filii Dei, illa ſexcentis illum obruit contumeliis: quæ res pium impulit Monarcham, ut duplici huic impietati totam ſuam auctoritatem opponeret. Judæi potentes erant in Gallia; magnæ eorum opes illis auctoritatem conciliabant. S. Ludovicus impietatem eorum dumtaxat cogitabat, eamque ferre non potuit. Illos extra Regni ſui fines exterminavit, & noluit, ſubditas ſibi civitates, & agros perfugium eſſe J. C., & Chriſtiani nominis inimicis. Blaſphemia, deteſtabile crimen illud, quod Sapiens nominare non auſus, orat ſolum, ne uſpiam in Domo Jacob inveniatur: Blaſphemia, quam Sancti Auguſtinus, & Baſilius contumeliam Deo factam, & maledictum in eum prolatum appellant: crimen hoc; quo contemnitur illud nomen adorabile, coram quo vult Deus, ut omne genuflectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; hoc, inquam, crimen hominibus uſitatiſſimum erat. S. Ludovicus ex terribilibus ſuppliciis, quibus animadverterat Deus in Sennacherib, Holophernem, Antiochum, Nicanorem, alioſque plurimos, intelligens quanto odio divina Majeſtas blaſphemiam proſequeretur, teterrima propoſuit in blaſphemos edicta; eos ſeveriſſimis pœnis affecit, quotieſcumque hac in re oratus fuit, ut parceret, ſe inexorabilem præbuit; & profeſſus eſt, ſe malle linguam perforatam habere, quam ulterius pati, ut in regno ſuo ſanctum Dei Nomen pollueretur. *Auctor recens.*

Ut Rex bellum vitio inducebat; ita virtuti præmium tribuebat.

Si pius Monarcha pati nequit ſcelus impune, ita pati nequit meritum, ac virtutem vacuam præmiis, & remunerationibus, quæ illi debentur. Quamlibet peculiarem virtutem remuneratus eſt; quo enim tempore, aut loco illi non favit? Ævo illius contemnebatur, ut hodierna etiam die contemnitur pietas; prodire non audebat; obſcura, & ignota latebat; S. Rex illam in lucem adducit. Scientia honore, & dignitate carebat; S. Rex pios & eruditos ad honores provehit. Quo in pretio non habuit bene merentes! Quoties inſignem Sorbonæ Inſtitutorem, Sanctoſque Thomam, & Bonaventuram laudibus cumulavit! quoties illos excepit convivio? Quoties illos primis ſubſelliis decoravit? Quot viri virtute quidem præditi, ſed obſcuro loco nati, eo regnante, repente de pulvere ac ſterquilinio ad eorum ordinem evolarunt, qui juxta ejus imperia populum regebant, hoc eſt ad præcipuas Regni dignitates, quin aliud haberent præſidium, & commendationem præter virtutum ſuarum fulgorem? *Auctor recens.*

Idem argumenti aliter.

Dum rerum potiretur pius hic Monarcha, virtutis, ac meriti fortuna, & conditio eadem erat, quæ nunc: pulvis, & nihilum centrum eorum eſſe videbatur. Ita virtus æque ac veritas in Principum aulis fere ſemper deſpecta fuit, & ignorata virtus ſine honore prodire non audebat. S. Ludovicus e caligine, ac tenebris eduxit illam, & in honeſto loco collocavit. Ut quis gratiæ illius particeps fieret, vitæ ſuæ, hiſtoricus inquit, titulus erat, eſſe virum probrum. Quicumque illius ævo doctrinæ ſanitate, & virtutum exemplis florebant, S. Thomas, S. Bonaventura, Robertus Sorbon, aliique præſtantes ejus ſæculi homines ad Regem liberum habebant aditum, & Rex illis qualibet in occaſione benevolentiæ ſuæ non dubia præbebat argumenta. Qui latebat, & ignorabatur, ſine genere, ſine bonis, ſine præſidio, ſine nomine, repente in apricum proferebatur, quoniam pius Rex ſedula indagine merita ſingulorum cognoſcere, & explorata habere cupiebat; nec defuere, qui inopinantes repente traducti fuerant ad primas togæ, & ſagi, necnon Eccleſiæ dignitates. Factum utile reipublicæ, quæ hoc regnante nunquam caruit eximiis viris, quia erat ille præſtantiſſimus Princeps. *P. Cheminais.*

Curæ fuit Regi noſtro ut Aula bene morata eſſet, & ibi Deo ſerviretur.

S. Rex, ut rite zelum exerceret, quem illi inſpiraverat Deus, ſecundum Apoſtoli verba, incipiebat ab Aula ſua, quæ tunc profecto appellari poterat; *Domus Dei. Ut incipiat judicium a domo Dei.* Videlicet per intervalla juridicas fieri jubebat inquiſitiones de vita, & moribus aulicorum, & ſi quos nanciſcebatur aquo licentiores, vel cujus mores ſuſpicione vacui non eſſent, & nonnullos libidinum labe fœdatos, licet alioquin præclaris meritis inſignes, niſi vitæ rationem immutare voluiſſent; eos procul removebat a lateribus ſuis, & ab aulæ aditu prohibebat; cum perſuaſum eſſet illi, ſe non poſſe, neque debere quidquam eorum fidei committere, qui per ſcelera ſua Evangelii jugum excuſſerant, & Deo terga verterant; quandoquidem verſabatur ſemper in corde illius magnum illud Davidis effatum, ubi de aulicis ſuis agebatur: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.* (*Pſ.* 100.) Nemo illorum, qui contemnunt Deum, habitabit domi meæ, neque mihi ſerviet niſi qui Deo ſubjectus in recta, & pura via ambulavit. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* (*Ibidem*) Ita pius Monarcha opere pretium ratus eſt zelum ſuum pro Dei gloria domi ſuæ oſtendere, antequam reformare inciperet res alias nocuas, & inutiles, quæ in Regno ipſius eſſe poterant.

Mala, quæ graſſabatur in Gallia ante S. Ludovici regnū quibus ille congruam attulit medicinam.

Non audeo propter Nationis gloriam vobis tanquam in tabula exhibere vitiorum portenta, privata, & publica, quæ Galliam initio regni S. Ludovici dedecorabant. Non audeo exhibere vobis ſæculum barbarum, quod non alias cognoſcebat leges, quam vim, & violentiam; non aliam fortitudinem, niſi inhumanitatem; non aliam caritatem, niſi rapinas, & uſuras; non aliam virtutem, niſi duellum; & non alia ferme Religionis argumenta, quam juramenta, & blaſphemias. Sed cur diſſimulanda ſunt mala, quæ hominum nequitia conſeneſcere paſſa eſt? Cur non ſunt ſimul conferenda duo ſæcula adeo ſimilia propter eorum vitia, atque peccata, qualia ſæculum Sancti Monarchæ, & præſens hoc noſtrum? Generalis erat corruptio in omnibus hujus Regni ordinibus; tantum aberat, ut bonum fieret, & aliqua opera bona exercerentur; tantum aberat, ut malum fugeretur; ut palam vitia ſua ſibi quiſque verteret gloriæ. Status Eccleſiaſticus reformatione indigebat; nonniſi de recentibus beneficiis conquirendis, prædiiſque augendis homines erant ſolliciti; temporalibus tantum, perituriſque rebus erant intenti, tantum aberat, quod Dei gloriam vellent procurare. Nobiles totam gloriam ſuam in ultione conſtituebant; mallentes ſuum cruorem effundere, ut unius voculæ vel in lævam partem detortæ, vel temere prolatæ pœnas ſumerent, quam vitam ſuam pro Reipublicæ felicitate, vel Religionis incremento ſacrificare. Tertius ſtatus libidinibus, ſceleribuſque manabat; & profecto opus fuit Rege æque pio ac Religioſo, qualis S. Ludovicus erat, ut tot tantiſque malis medicina adhiberetur. *Abbas Mongin in Academico Sermone ſuo de S. Ludovico.*

S. Regis zelus pro Eccleſiaſtica diſciplina.

Quid inauſum reliquit Sanctus hic Monarcha, ut in Regni ſui clero Eccleſiaſticam repararet diſciplinam, & quo ſucceſſu, ac cæleſti benedictione labores ſuos aggreſſus eſt? Unum ex gravibus Cleri ſcandalis admodum frequentibus ea tempeſtate erat Simonia; quam qua auctoritate ſtirpitus non evulſit per celeberrimam illam Conſtitutionem, vel Pragmaticam Sanctiorem, quam ſervamus adhuc tanquam theſaurum, & quam inter pretioſas illius reliquias poſſumus recenſere, quandoquidem hoc opus illius eſt, & unum ex ſanctiſſimis monumentis, quæ nobis reliquit! Bonorum Eccleſiaſticorum abuſus erat, abſit invidia verbo, abominatio deſolationis in loco ſancto. Qua prudentia, & vi non attullit illi medicinam, coacta Synodo Pariſienſi, ubi in beneficiorum materia fieri juſſit decreta, contra quæ non præſcribere poterunt tempus, & conſuetudo? Decreta, quæ ſi recitarem, confunderent laxitatem ſæculi noſtri, ut fortaſſe etiam aſſertam illius ſeveritatem. Illud quod pertinet ad titulorum pluralitatem, quam S. Ludovicus monſtrum vocabat, nonne nobisruborem injiceret? Gloriamur quidem de chriſtiana ſeveritate, ac diligentia in antiquis Canonibus ſervandis; ſed hoc theorice; & S. Ludovicus zelo ſuo illam redigebat in praxim. *P. Bourdaloue.*

Si S. Ludovicus ardēter quærit quæ Dei sūt, Deus quoque Regis incolumitati invigilat.

Eodem tempore, quo Sanctus hic, & ſapiens Rex nihil ſpectabat niſi Dei gloriam, Deus viciſſim invigilabat Regis incolumitati, quæ ipſi erat antiquiſſima. De hoc dici id poteſt quod de alio a S. Auguſtino dictum fuit: *Magnum ſpectaculum habere pro ſe Deum armatum.* Barbarus Princeps conſilium inierat nefarium adverſus Sanctum hunc Regem, & duobus ſicariis mandaverat, ut illud exequerentur: ſed cum hi iter jam fuiſſent ingreſſi, barbarus conſcientiæ ſtimulis agitatus, nuntium miſit, qui Regem funeſti hujus conſilii admoneret, qua re mortem effugit. Fridericus Imperator inſidiis illum excipere vult, ejuſque perſona potiri ſtudet in loco, qui ad colloquendum fuerat condictus; ſed Deus Ludovico mentem injicit, ut ſibi caveat: *Magnum ſpectaculum habere pro ſe Deum armatum.* Hiſtrio quidam Regis pietatem ſtudet in jocum traducere, collum contorquens ad illum imitandum, ſed a Deo ſtatim in arena percutitur, & ille obſtico in reliquum vitæ ſpatium collo permanſit. Cum eſſet in mari de primo itinere ſuo redux, & navis, qua vehebatur dehiſcens ſubſideret, actum erat de vita illius, niſi ſingularis Dei protectio adfuiſſet, quæ illum in funeſto hoc eventu magis intrepidum reddidit, quam priſcum illum terrarum domitorem, qui præſumebat fore ut fluctus, ac procellæ fortunam ſuam vererentur. Adeo verum eſt veram ſapientiam eſſe agere ſemper propter Deum, ejuſque lumina ſequi, ſi in graviſſimis vitæ periculis illum adjutorem experiri velimus: *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Rex non remittit injurias Deo factas; factas autem ſibi facile condonat.

Si Sanctus hic Rex Domini legem generatim in omnibus ejuſdem partibus adimplere conatur; ſi fidelis eſt, ut Deum oret, & colat cum zelo, ac fervore ſive publice, ſive privatim, non minus ſolers eſt in exequendis illis, quæ ſunt difficillima, & a quibus magis repugnat natura. Severus, & inexorabilis cum de Dei agitur gloria, facilem ſe præbet in iis, quibus ipſe afficitur, contumeliis, immo remunerari videtur illos, qui vitæ ſuæ ſtruunt inſidias, cum illi perſuaſum ſit, Deum ſibi reſervaſſe jus ultionis; & illum pœnas ſumpturum de eo, qui cupit ulciſci. Nunquam cor illius in iram pronum fuit. Ex corde pepercit Principi barbaro, qui mortem illi moliebatur, & binos ſatellites ad funeſtum hunc finem miſſos muneribus cumulat. Mittit etiam Evangelicos operarios ad Principis hujus converſionem procurandam, eique oſtendendum ingens illud diſcrimen, quod intercedit inter Religionem, quæ profitetur perſequi proximum ſuum, & illam, quæ jubet parcere inimicis. Profecto magnus iſte Rex tunc oſtendit magnitudinem, atque præſtantiam animæ ſuæ; quid enim difficilius eſt, quam parcere, & quam ſibi vim infert natura, non ſolum, cum non ulciſcitur, verum etiam cum benemereatur de illis, qui vitam auferre voluerunt. *Recens Auctor.*

S. Ludovicus deſumptibus domus & menſæ ſuæ aliquid ſubtrahit in pauperum uſus erogādum.

S. Ludovicus adeo tenera benevolentia eos omnes complectebatur, qui aliqua premebantur neceſſitate, ut naturali magnificentiæ ſuæ omnes inutiles ſumptus ſubtraheret, theſauris uſus tantum in ſublevandis miſeris, in reparandis malis, quæ ſub ejus nomine facta fuiſſent, & in ædificandis per omnes Regni Provincias, Monaſteriis, & Xenodochiis, quorum lapides ipſi licet ſenſu carentes illius liberalitates & eleemoſynas enarrant. Fortaſſe vix capere poteritis, quomodonam Rex, qui nihil fieri a ſubditis ſuis exigebat, & qui non aliena bona in eleemoſynas erogabat, in ſolis reditibus ſuis inveniret unde omnia hæc, & magnificas ædes extrueret, quæ illi æquiſsimo jure compararunt nomen parentis pauperum, non ſecus ac ſummo Regi noſtro Ludovico XII. nomen patris populi? Mementote hoc facile fuiſſe Regi præſertim inimico luxus & pompæ, quæ non eſt omnino neceſſaria Majeſtati ſolii; Regi, qui pretioſis ſe exuit indumentis, licet dignitatem, & genus ſuum decentibus, cum ille nonniſi vulgatiſsimis, & quibus cives utuntur, indueretur; Regi, qui religioni ſibi vertit, in ſe avarum eſſe, ut liberalior eſſet in alios; Regi tandem, qui tantum aberat, quod aliena uſurparet loca, non ſecus ac pleroſque Mundi Principes, ut etiam ædes ſuas in calamitoſorum perfugium converteret. *Sermones Chriſtiani.*

S. Ludovicus e regno ſuo mimos & ſcurras expellit.

Quid non agreſſus eſt pius iſte Monarcha pro communi bono ſtatus ſui, pro Dei gloria, & pro Religione? Quoties periculo objecit vitam ſuam, eo quod ſe licentiæ inimicum palam profeſſus eſt? Ut expelleret hiſtriones, & ſcurras, publicas peſtes, & ex Regno ſuo exterminaret perditos homines, qui alios exhilarantes occidunt; & qui ſub præclara ſpecie aliis immittendi horrorem turpiſſimarum cupiditatum, illis virus propinant, omnes earum motus, arteſque ad vivum exhibendo? Quot peccatores ex ſcelerum ſuorum abyſſo ope, & opera Sancti Regi hujus eruti non fuerunt? Quot mulieres pertæſæ nugarum amatoriarum, & vanitatum? Qui paullisper cum pio Rege conſueverat; melior inde revertebatur. Laxabat in his ardorem cupiditatis, accendebat in illis fervorem caritatis. Aliorum conſtantiam in adverſis fovebat, aliorum faſtum in proſperis moderabatur. Verbo, perfugium erat, ac præſidium omnium; omnibus omnia factus, ut omnes J. C. lucrifaceret. *Sermones Chriſtiani.*

Ædificat Xenodochia, Monaſteria & hoſpitia pro omni genere miſerorum.

Non loquor hoc in loco de Sancti hujus Regis caritate erga pauperes, neque de zelo quo eorum miſeriis opem ferre ſtudebat. Xenodochia, quæ nobis ſuperſunt, ſuperba ædificia, quæ extruxit pro omni calamitoſorum genere, pro omnibus morbis, pro orphanis, pro viduis, pro inſipientibus, pro cæcis, pro virginibus, quarum pudor periclitatur, & pro peccatricibus ad bonam frugem converſis, quibus Gallia univerſa redundat, ejus eleemoſynæ, quæ vigent, & quas Eccleſia univerſa laudibus celebrare non deſinet; eleemoſynæ, inquam, ſi fas eſt ita loqui, quas caritatis ipſius magnificentia perennavit, & ex quibus adhuc pauperes vivunt: hæc omnia eloquentius, quam ego valeam, S. Ludovici eximiam prædicant caritatem. Mihi ſatis eſt dicere tenerum hunc amorem erga pauperes, rem eſſe, in qua S. Ludovicus, eo quod nimius zelo ſuo velificatus eſt apologia quadam indigere videatur. Pius hic Monarcha cum S. Bernardo judicabat, hujus terræ Principem pudore nequaquam ſuffundi debere, ſi in medio pauperum videretur; quandoquidem omnis illius ambitio eſſe deberet, regnandi aliquando cum illis. Verum eſt, ipſum illos non ſine quodam exceſſu dilexiſſe. Illos in ædibus ſuis recipiebat hoſpitio, convivas adhibebat; illis propriis manibus miniſtrabat, pedes eorum eluebat, ulcera eorum attrectabat; quæ omnia in oculis mundi parum decere conditionem illius videbantur: ſed erat illi perſuaſum, ſi hoc nimis eſſet Regi Ethnico, nimis eſſe parum Chriſtiano Regi, a quo non amandi ſolum, verum etiam in honore habendi ſunt pauperes iſti, quippe qui ſunt imagines Filii Dei. *P. Bourdaloue.*

Ejuſdem argumenti.

Ubinam magnus hic Rex non reliquit inſignia magnificæ, & regiæ ſuæ pietatis monumenta? Habebat in manibus ſuis, & multo magis in corde inexhauſtum caritatis fontem, qui omnibus ſufficiebat, & omnia ad finem perducebat. Nunquid ædificanda erant Templa, & Aſceteria pro animabus Sanctis, quæ benedictionibus ſuis reparant improborum maledictionem, & peccatorum impietatem? Extruendæne erant domus, quo ſecederent viduæ, orphani, & cæci? Inſtruendane erant Xenodochia ad peregrinos excipiendos, & ægrotis opem ferendam? Novit ille omnibus proſpicere neceſſitatibus, omneſque terere miſerias, & ipſe unus fecit, quod plures Reges ſimul facere non valuerunt. In hoc ſuos impendit reditus. Neque ideo publica auxit onera; neque quidquam injuſte operatus eſt, ut haberet, unde ſuæ caritati materiam ſuppeteret. Aluit pauperes, & miſeros, ſed nullos fecit; largitates illius nullum populo detrimentum attulerunt, & in eleemoſynas erogabat ea, quæ voluptatibus ſuis ſubtrahebat. Apage illos pſeudo-miſericordes, qui utraque manu arripientes, & per intervalla partem aliquam rapinæ ſuæ pauperibus diſtribuentes, credunt peccata ſua peccatis delere, & ſacrificare Deo ea, quibus homines fraudarunt. Apage hos divites mundi, qui per fundationes, quibus non alius eſt fundus, quam rapinæ, ſuæ poſteritati volunt imponere, & homines ad credendum impellere, ſuperbam ipſorum avaritiam piam eſſe liberalitatem. *Flechier.*

Ejuſdem argumenti.

S. Rex noſter adeo tenera dilectione omne calamitoſorum genus proſequebatur, ut ejus eleemoſynæ ad profuſionem uſque percrebreſcerent. Paucæ ſunt in hoc Regno Provinciæ, quas non repleverit ædificiis ad miſerorum ſubſidium extructis. Sed illius prædilectiones ex eo non erant genere, quod zelum ad quaſdam dumtaxat perſonas coarctat, & erga alias indurat. Quænam pauperum ſpecies illius caritatem fallere potuit? Leproſi, cæci, orphani, ægroti, viduæ, puellæ, mulieres anteactæ nefarie vitæ pœnitentia ductæ univerſalem in illo parentem nactæ ſunt qui ſingulis perfugium diſtribuit ita bene inſtitutum, ut ad hanc quoque diem perſeveret. Illi, quos paupertas voluntaria rebus omnibus exuit, ut in Religione J. C. ſequerentur, eo digniores largitatibus ſuis videbantur, quo magis eorum neceſſitas merus erat pietatis effectus. Ordines S. Franciſci, & S. Dominici, qui æque illi erant accepti, æque in partem caritatis illius acceſſerunt; eiſque plures ædificavit domos in regno ſuo. Licet ejus conſuetæ eleemoſynæ ad immodicas auri, argentique ſummas aſcenderent; non deerant illi fundi, quos in eleemoſynas præter ordinem, & conſuetudinem erogaret; cumque illi diceretur, theſauros ſuos jamjam exhauriri, reſpondebat ſe in hac una re ſumptus amare, & maximam voluptatem ſuam eſſe, largiri eleemoſynam, neque melius ab ipſo collocari poſſe pecunias, quæ erant in uſum voluptatum ſuarum deſtinatæ. *P. Cheminais.*

S. Rex ſibi in Cælo amicos facit magnis eleemoſynis.

S. Ludovicus omnes curas ſuas potiſſimum impendit, ut ſibi in cælis amicos faceret per hæc, quæ vulgo ſunt humanæ iniquitatis inſtrumenta, videlicet per divitias. Prævertit ſemper mala bonis mundi hujus inhærentia, ſancto eorum uſu; poſuit illa in fœnore, eaque mutua dedit Domino per manus pauperum, & ex perituris bonis, quæ fures ſurripiunt, ædificavit ſibi theſaurum in cælo immortalem, quem in tuto collocavit in incorruptibilibus Domini tabernaculis, ubi eleemoſynæ illi certam faciunt ſedem. Hoc in loco, fateor, periculum eſt, ne miniſterii mei pondere victus cedam; eximiæ caritatis effectus Sancti hujus Regis undique ſeſe offerunt oculis meis; centum & viginti pauperes in ædibus Regis nutriti; Regiæ manus honoratæ magis membris Jeſu Chriſti patientis, quam ſceptro quod gerunt, & ſpoliis rebellium ac barbarorum; tot Xenodochia, Monaſteria, Templa, æterna piæ liberalitatis hujus Monarchæ monumenta, ſuſpenſum tenerent animum meum, niſi mihi perſuaſum eſſet, cum minime dicere valeam univerſa, zelum eorum, qui me audiunt, me excuſaturum, ſi anguſti fines ſermonis unius me coegerint ut hoc in elogio multa prætermitterem. *Ex Specimine Orationum,*

Ejuſdem argumenti.

Mittere eleemoſynas in Xenodochia; Provinciis, quas bellum & fames depopulatæ fuerant, opem ferre; quæ ſibi ſuperErant, pauperibus erogare; pia curioſitate populorum miſeriam inveſtigare, ut illis opituletur; per alienas manus ſua effundere beneficia; hæc vulgaris communiſque caritas appellari poteſt; ſed ſe ipſum in Xenodochia conferre; propriis manibus pauperibus deſervire; ipſum ægrotantibus miniſtrare, vulneratos attrectare, & ultima morientium ſuſpiria colligere ibi, ubi nonniſi tabidus aer reſpiratur; hanc ego inauditam, & immoderatam caritatem appello. Parum fuit S. Ludovico pauperum neceſſitatem cognoſcere, viduarum, ac pupillorum patronum ſe profiteri, illis aſylos ædificare, illis ſuppeditare quæ neceſſe ſunt, ne intereant fame; illos ægrotantes medicis commendare; curare, ut ſacris ſe myſteriis reficiant; ſumptibus providere, vel ad eos curandos, vel efferendos neceſſariis, hæc ex pii Regis hujus ſententia communis fuit caritas, licet nil melius, vel utilius jure ab omnium Regum amantiſſimo valeat deſiderari. At ſuam pietatem longius producere voluit, & inviſere dignatus eſt hos pauperes, & ægrotos; & quin illorum perhorreſceret vulnera, eos geſtare iis manibus, quæ ſceptrum ferebant, ac velut Samaritanus ille vinum, & oleum infundere, & in afflictas eorum animas dulcedines, cæleſteſque conſolationes inſtillare, quæ nunquam guſtantur melius, quam cum prodeunt ex corde, & manant ex ore illius Regis, qui ceteris magnitudine & ſanctitate præſtabat. Quænam verecundiæ cauſſa vobis eſt hoc exemplum divites populi, vobis, inquam, qui publicæ calamitatis tempore, ne ſuperfluis quidem privari vultis, quæ ad illos palam pertinent? Vobis, qui a publicis hiſce flagellis immunes, quæ nonniſi eminus, & ſenſim in domos ruunt veſtras, ignorare ſimulatis in mundo pauperes eſſe? vobis, qui perperam lætantes ob aliquod bonum jure adquiſitum, arbitramini licere vobis illud in quemcumque uſum impendere? Vobis tandem aliquando perſuaſum ſit, quicumque eſtis, & quomodocumque bona veſtra ſint parta, æterna damnationis pœna propoſita teneri, ut eadem cum pauperibus partiamini; obligationem hanc non caritatis eſſe tantum, ſed juſtitiæ; cum omnino debeatis, pro bonorum veſtrorum magnitudine majores, minoreſque ex bonis veſtris eleemoſynas erogare. *Elogia Hiſtorica.*

S. Rex fecit ut Religio floreret in Gallia, & quomodo.

Magno huic Regi ſatis non fuit vitium, & impietatem e regno ſuo exterminare; fecit etiam, ut refloreſceret Religio replendo Galliam Templis, Monaſteriis, Collegiis, & Xeno-

Xenodochiis; ita dicebatur, nullibi videri magnus, & magnificus, niſi in magnis eleemoſynis; cumque a Miniſtris admoneretur de immodicis ſumptibus, quos in tot piis operibus inſumebant, ex illis quærebat quanam in re melius Regum pompa, & magnificentia poſſet impendi, niſi in Dei cultu. Quæ res tot cæleſtes benedictiones in magnum hoc regnum pertraxit, ut nullum unquam locupletius, florentius, beatiuſque extiterit; & de Sancto hoc Rege dici poteſt, quod Scriptura de Salomone teſtatur: *Magnificavit Dominus Salomonem ſuper omnem Iſrael, & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum.*

S. Rex nec curis nec vitæ ſuæ parcit, ut occurrat peſti & fami quæ regnũ vaſtabant.

Ut penitus perſpiciamus cor tenerum, & miſericors eximii hujus Regis, hic nobis conſiderandus eſt in funeſtiſſima regni ſui calamitate. Deus ut puniret peccata populi ſui, vel ut Regis caritatem exerceret, permiſit, ut fames & lues ſimul regnum depopularentur. Duplex iſta calamitas effuſa longe, lateque graſſata eſt. Terra non protulit fructus; aer nonniſi improbos habuit influxus; his vita deficiebat, illos mors adoriebatur: elementa ſimul conjuraſſe videbantur adverſum homines, qui ſe ad pereundi neceſſitatem redactos intuebantur, vel ob cæli iram, vel ob terræ ſterilitatem. Tunc Sanctus Rex omnem ſuam caritatem expandit. Prodiga manu effudit theſauros quos tanta moleſtia congeſſerat. Se ipſum putavit tanquam Patremfamilias, cui ſalus & victus filiorum ſuorum commendata eſſent. Aliis ad victum neceſſaria ſuppeditavit, aliis conſolationes addidit, ut bene morerentur. Æger fuit cum ægrotantibus; & licet anni tempora adverſarentur, effecit curis ſuis, ut rerum copia germinaret. Non ſolum publicæ calamitatis ſolatium quæſivit, verum etiam ſubire voluit pœnitentiæ partem. Clam ploravit, ſe Deo obtulit ſacrificium ſub cinere & cilicio: *Ego qui peccavi...* (2. *Reg.* 24.) dicebat cum David; *Vertatur, obſecro manus tua in me. Flechier.*

Admirabilis S. Regis zelus pro Dei gloria, & Evãgelii propagatione.

Evangelii propagationem, & integritatem, ac unitatem fidei S. Ludovicus ardenti zelo quærebat. Hinc illius fervor pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro morum puritate, ac reformatione; hinc zelus domus Dei; qui comedebat illum, & propter quem omnes injurias, quibus Deus afficiebatur, contumelias ſibi illatas putabat: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* (*Pſ.* 68.) Zelus gloriæ Dei, qui innitebatur magno huic Religionis placito, quod alte illius animo inſederat: quod nempe Regem eſſe, idem eſt ac ex officio eſſe Dei miniſtrum, & executorem in capite mandatorum Dei. Dixi, zelum propagationis Evangelii; etenim nonne hic illum ſubjecit diuturnis, ac celeberrimis itineribus, quæ ſuſcepit, ut nominis Chriſtiani inimicis bellum inferret? Nunquid, ut id conſilii caperet, aliam conſuluit ſapientiam ab ea, qua repleti fuerunt Apoſtoli, cum inierunt conſilium in extremas uſque terrarum plagas eundi, ut illuc fidei lucem afferrent; & cum Sanctus hic Rex ſui oblitus e regno ſuo egrediebatur maria tracturus, aliudne ſpectabat, quam Regni J. C. incrementum? Qua cura & in Palæſtina & in Ægypto ad Saracenorum converſionem incubuit? Quot illorum Deo lucratus eſt? Cum ad ipſum accedebant, ut Chriſtianorum fidem amplecterentur, quo gaudio recipiebat illos, favoribus cumulans, eiſque ſedem, fortunaſque in ſuo regno promittens? dicebat enim: hi totidem ſervi ſunt, quos J. C. Regi ſubjicio. Rex ſimilis Magno huic Sancto nonne Apoſtolus erat in ſtatu ſuo? Et nonne fidenter cum S. Paulo dicere poterat ſe nulla in re maximo cuilibet Apoſtolorum minorem eſſe? *P. Bourdaloue.*

Generoſum conſilium bellum infidelibus inferendi.

Præcipua pii hujus Monarchæ cupiditas erat bellum inferendi Religionis hoſtibus. Non cupiebat quidem Fidelium cruorem effundere; ſed pati non poterat æquo animo, ſe in florenti regno læta pace fruente loca Domini paſſione conſecrata ab inimicis Sancti ejuſdem nominis pollui. Neſcio quid ſæculo noſtro adeo perverſo videbitur de opere hoc adeo Sancto; ſed portenti loco eſſet, ſi in Chriſtianæ Religionis ſinu minus glorioſum eſſet Chriſtiano Principi bellum J. C. inimicis inferre, quam glorioſum eſt in Mahumedis ſecta Ottomanis principibus nomen Chriſtianum humiliare, & cum voluptate exterminare eos omnes, qui Chriſtianam Religionem profitentur, Chriſtianos vero minorem Religionis ſuæ zelum habere, quam ſuæ Mahumedis cultores. Certum eſt tamen ſi S. Ludovicus ſimile facinus pro victoria profana auſus fuiſſet, hunc tanquam Alexandrum alterum habendum fuiſſe; verum cum illud bellum eſſet Religionis cauſſa ſuſceptum, pro nihilo habenda erit urbs Ægypti caput, expugnata ab exercitu, quem effudit e navibus in terram ob oculos inimici in aciem ſecus litoris oram compoſiti, contra quem ille prior ſe conjecit in aquam, ut invaderet in hoſtem ſancta impatientia correptus, dextera gladium tenens, & clypeum læva petitus telorum, ac miſſilium grandine, quæ in illum undique contorquebantur. Nihili fient tria prælia in Palæſtina pugnata, ubi inſignia præbuit bellicæ virtutis ſpecimina, ingentem Turcarum manum invadens ad Maſſuram, & in confertam hoſtium manum procedens liberaturus Comitem Andegavenſem fratrem ſuum, qui in captivitatem abducebatur, & ſemetipſum expediens ſua dexteritate, ac virtute ex manibus decem Turcarum alia in occaſione ubi ſolus, & procul a ſuis fuerat deprehenſus. *P. Cheminais.*

Ardor belli pro gloria Dei efficit ut bellum inferat hoſtibus nominis Chriſtiani.

Cum immiſiſſet Deus in S. Ludovicum piam, ſtrenuamque mentem opis ferendæ Chriſtianis, qui Jeroſolymæ ſub infidelium tyrannide languebant oppreſſi, & ex illorum manibus extorquere locos nativitate, laboribus, & Salvatoris morte conſecratos; hinc quidem libenter eos omnes arceſſerem, qui fortitudinem, ac generoſum animum jactant, ut virtutis hujus documenta a Sancto noſtro perciperent, inde vero invitarem pios homines, ut ſeſe ad militis exemplum componerent; quoniam in hoc bello, juge videtur extitiſſe certamen inter illius conſtantiam & pietatem, ut liqueret, utra in corde illius principem locum obtineret. Pro vexillo Crucem extulit contra Infideles, ut omnes norunt, & validam ædificavit, ornavitque claſſem mare tracturus. Progreditur ad bellum pro defenſione glorioſiſſimorum ſalutis noſtræ Monumentorum, ut de Turcarum manu liberet ſancta loca divino ſanguine imbuta, atque ut vindicet in libertatem corpora eorum, quorum Salvator animas redemit, atque ut prohibeat, ne a Mahumetanis Redemptoris ſepulcrum, de more inquinetur. Quod conſilium magnificentius, & Rege Chriſtiano dignius! Sed quo animo tantum facinus adortus eſt? Relinquit regnum ſuum, ſexcentos patitus labores, ſexcentis ſe objicit periculis, & ne quid intentatum prætermittat, quandoquidem agitur de gloria Dei, cum tota regia domo, univerſo nobilitatis flore, omnibuſque viribus regni ſui navim conſcendit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Idem argumentũ aliter enuntiatum.

Quantumvis glorioſa eſſent bella a S. Ludovico in regno ſuo adverſus rebelles ſubditos, & ſectarios Deo rebelles bellata, zelus ejus majus, ſanctiuſque objectum quæſivit. Satis vicerat pro nominis ſui gloria, & requie ſubditorum ſuorum: regnum illius erat tranquillum, & hoſtes ſubacti, ſed proh dolor! J. C. inimici illi ſubjecti non ſunt. Infidelis, & alienigena illius poſſident hereditatem; Sanctum illius ſepulcrum, glorioſum theatrum, in quo de morte, atque inferis triumphavit, trophæum eſt impio; & felix illa tellus miraculis ejus ſanctificata, & adhuc ſanguine ejus imbuta ab omnibus Chriſtianis Principibus opem, ac libertatem exquirit. Heu! licet S. Ludovicus victima futurus eſſet, ultor erit; vel potius uterque eris, o Ludovice. Ultor quidem eris nominis Chriſtiani expeditionibus, victoriiſque tuis; victima autem propter ærumnas. Superba Peluſii mœnia ruent quidem: Luna trophæum eſt Cruci Redemptoris. Pro Deo, cui ſervis, gloria triumphabis, ſed ad gloriam tuam ipſe vinceris. Honor cauſſæ, quam ſuſtines, poſtulat victorias, atque triumphos: ſed Crux, quam geris, & ſimilitudo, quæ tibi eſſe debet cum Salvatore tuo, poſcit catenas: & victor de inimicis ejus, in horum incides captivitatem. *Abbas Mongin in Academico Sermone de S. Ludovico.*

Ejuſdem argumenti.

Memoria veſtra repetite nobile conſilium, quod cepit pius iſte Monarcha inferendi Infidelibus bellum, & efficiendi, ut iterum Crux, & J. C. myſteria triumpharent in locis originis ſuæ, ubi eorum memoria penitus obſoleviſſe videbatur. Sua illum pietas urget, ſpes excitat, omnia inſtruit ad navigandum, diſcedit flagrans zelo gloriæ Salvatoris, & navem conſcendit. Venti furentes illi favere videntur, atque cum Regis zelo conſpirant. Mare conſentiens præclaræ huic gloriæ, qua Sanctus Rex excitatus erat, demittit fluctus, & non ſine quadam obſequi ſpecie defert naves tota Chriſtiana nobilitate repletas. Accedit claſſis ad ſuperba Peluſii propugnacula, & ad urbis hujus, & viginti mille Barbarorum conſpectum illam propugnantium. Cruce ſignatorum excitatur animus. Ludovicus ante illos ſancta incenſus impatientia progreditur, gladium dextera tenens, clypeumque ſiniſtra; & ex navi exſcandens per undas, telorumque grandinem terram aſſequitur. Hoſtis expaveſcit; Fidelis terra potitur, Cruces in mœnibus attolluntur: omnia cedunt; potitur urbe munitiſſima, & ad cetera viam ſibi ſternit. Hinc conjicite, quæſo, utrum magnus hic Rex jure dicere poſſet non ſecus ac antiquus ille Cæſar: veni, vidi, vici: ſed fallor, dicendum potius erat, ſatis fuiſſe, ipſum veniſſe, & viciſſe ut vinceret. *Flechier.*

S. Ludovici zelus eũ transfert trans maria ad fidei hoſtes impugnandos.

Cur mihi non licet ſequi magnum hunc Regem per ingentis hujus Oceani procellas, ac tempeſtates, in laboribus, & ærumnis, quas terra, marique patitur, ut videam quid poſſit Sanctus, & Rex ſecundum cor Dei, quid poſſit animus acer cum eminenti virtute conjunctus, & monarcha gloriæ Dei ſui zelo ſuccenſus. Videremus animoſam virtutem hanc in hoc theatrum prodeuntem ſub omni aſpectus varietate, quæ illam nobis oſtendere poteſt glorioſiorem; modo inter milites armatam, modo inimicos divini nominis vi magna repellentem, modo cruentiſſimas victorias referentem. Aſſerere tamen poſſumus, hoſce triumphos licet eximia gloriæ luce renidentes, funeſtiſſimos eſſe; quoniam velut palmarum, & laurearum pondere obrutum, urbium oppugnatione, & hoſtium cæde fatigatum, illum ipſum paullo poſt in vinculis, & carcere intueor, dubios nos relinquentem, utrum effecerit ut Salvator melius, & glorioſius regnaret, cum pro ejuſdem gloria in aciem deſcendit, an cum propter illius amorem victus fuit: cum hoſtes delevit, an cum ab hoſtibus ipſe deletus fuit. *Biroat.*

Cauſſæ propter quas permiſit Deus S. Ludovici captivitatem.

Si Omnipotentis conſilia audemus ſcrutari propter graviſſimas cauſſas, eaſque nobis ignotas, permiſit ille, ut S. Ludovicus in captivitatem abduceretur. Ut Chriſtianos ſanguinis, nominiſque ſui profanatores puniret, ſancta reliquit loca, ubi maxima Religionis noſtræ myſteria operatus eſt: ſub poteſtate nationis cæcæ ignorantis illa. Reliquit illa ut periculum faceret fidei Regis noſtri ea tribulatione, quæ conformis eſſet ſublimi gradui ſanctitatis, ad quem illum deſtinabat: oportet enim, ut quicumque ſerviunt illi, tententur. Reliquit denique illa, ut Religio per pietatis ejuſdem S. Ludovici exempla nitidius, quam per armorum proſperitatem triumpharet. *Abbas du Jarry.*

S. Ludovicus in carcere eoſdẽ ſenſus retinet, quos in throno fovebat.

Sancti Regis captivitas nullum attulit gloriæ ipſius detrimentum. Carcer illius majorem nobis oſtendit magnificentiam, & majeſtatem, quam Regum nullus in ſolio oſtentavit. Semper humilis in celſitudine, videretur ſuperbiam omnem in dies calamitatis ſuæ reſervaſſe. Verum eſt, carcerem illius nebulæ inſtar eſſe quæ gloriæ ipſius caliginem veluti quamdam obtendit: Sed hanc introſpiciamus, & illuſtrem videbimus captivum, qui ſuæ majeſtatis virtutumque fulgore carceris tenebras illuſtrat, Solis inſtar nubem, qua tegitur, illuminantis, cujus radii eo vividiores, ac fulgidiores ſunt, quo magis in arctum coacti. Barbari obſtupuerunt, cum rati de miſero inſultare, Regem, & Dominum invenere, a quo legem recipere cupiiſſent, parati ad ſolvenda ejus vincula, ut illum ad ſolium eveherent. Sed ſuper illos regnare, etiam non in throno ſciet; & in ipſis vinculis, & carceris ſqualore legem illis irrogabit. Agere volunt de redemptionis illius pretio: reſpondet: Reges non redimi; ab illo Sacramentum petunt, quod in oculis ejus blaſphemia videtur; & creditiſne, inquit, impii, Regum majeſtatem cum eorum perſonis in vincula conjici? Putatiſne fidem captivi Jeſu Chriſti, non eſſe omnibus ſermonibus veſtris ſacratiorem? *Abbas Mongin in Sermone Academico.*

Æque tranquillus eſt inter vincula, ac in Aula.

Sancti Regis majeſtas ſibi reverentiam conciliavit, cum inter belli Sancti vices, in Barbarorum poteſtate poſitus leges imponebat illis, quorum captivus erat. Fingite vobis tumultuoſam illam ſatellitum cohortem, qui cum impetu irruentes in Jeſum Chriſtum repente ad hujus pedes proſternuntur ad fulgorem radii unius prodeuntis ex terribili majeſtate Dei exercituum, qui in ore hominis Dei repente refulſit. Talis præter propter fuit hæc furentium tempeſtas, qui cæde Sultani ſui irritati, eorum furori ſacrificati, ferrum manu tenentes in S. Ludovici tabernaculum ingreſſi ſunt; tunc enim perculſi velut ictu fulmineo incomparabilis Principis hujus majeſtatis, reveriti ſunt eum, cujus ſanguinem erant effuſuri; omnem furorem ſuum in venerationem converterunt, & effecerunt ut horrendi parricidii conſilio criminis horror ſuccederet. *Abbas du Jarry.*

S. Ludovicus captivus comparatus cum S. Ludovico in ſolio.

Chriſtiani exercitus clades, & S. Ludovici captivitas mihi profecto pulcherrimus vitæ ejuſdem locus videtur. Rex iſte mihi glorioſior in carcere videtur, quam in Aula; manus illæ catenis graves majorem apud me ſibi venerationem conciliant, quam cum ſceptrum gerebant; & pius iſte Monarcha ſibi comparatus majorem habet pompam in carcere, quam in ſolio. Nam licet æque fidelis ſit Deo in proſperis, atque in adverſis, non ſolum nihil virtutis amiſit in poſteriori hoc ſtatu; ſed e contra ejus virtus, generoſitas, pietas, nobiles illi ſenſus, quos a natura acceperat per regiam nativitatem, nitidius in illius calamitate, quam in faventis fortunæ curſu, atque triumphis effulſerunt; & affirmare poſſumus, pium hunc Monarcham poſt acceptam cladem, & captivitatem factum fuiſſe magis admirabilem, quam in gloria ſublimi. Adeo verum eſt, ſolidam virtutem, quin inter infortunia evaneſcat, in illis expiari, & multo majori in luce clareſcere. *P. Senault.*

Conſideratio in hanc Dei providentiã erga S. Ludovicum.

Politici mundani ne hæreatis ſententiæ amicorum Job juſtum hunc afflictum intuiti. Judas Machabæus, Simon, Jonathas adeo fideles ſervi Dei ſui, duces adeo ſtrenui, nequaquam meliorem exitum nacti ſunt. Hic ordo eſt Providentiæ quem ſcrutari humanæ politicæ non licet. Secundum infirma judicia noſtra S. Ludovicus merebatur, ut in gratiam ipſius inſtauraret Deus miracula, quæ olim operatus eſt pro Moyſe, cui omnia parebant elementa; pro Conſtantino, cujus militibus crucis aſpectus metum abſtulit, pro Theodoſio, pro quo ipſi etiam venti certabant. Pius Monarcha noſter pro Dei gloria certabat, & nihilominus permiſit Deus, ut exercitus illius cæderetur, & ille fieret eorum captivus, quos toties vicerat; ſed iterum dico, volebat Deus, ut infideles admirarentur patientiam Job, & fidelitatem Abrahæ, in eadem perſona, in qua venerati fuerant Salomonis ſapientiam, & Mathatiæ fortitudinem formidaverant. Quam illuſtris mihi videtur Rex iſte in carcere, ubi magis homines reverentur manus catenis onuſtas, quam regio ſceptro renidentes! In throno felix eſt ſine faſtu, in carcere eſt infelix cum dignitate. Quin ullum doloris ſolatium petat inutili, abjectaque querimonia: ſpem omnem collocat in bonitate Domini ipſum affligentis: recordatur Abraham plurimis ærumnis tentatum fuiſſe, & per eaſdem meritum fuiſſe amorem Dei ſui; ſine ſuperbia in rerum proſperitate, cum S. Paulo, de paſſionibus ſuis gloriatur. Nihil in carcere cohibere poteſt pietatis ejuſdem curſum; erat apud infideles tanto cum fervore, quanto apud Sanctos Religioſos, quos crebro in ſocietatem piarum exercitationum ſuarum vocabat. *Auctor Recens.*

Glorioſum eſt S. Ludovico in captivitate regiæ dignitatis majeſtatem ſervaſſe.

Verum eſt S. Ludovico inter glorioſos eventus perferendas fuiſſe calamitates; etenim in primo itinere incidit in captivitatem. Sed in calamitatibus ſuis jure mihi major, ac ſeipſo videtur ſuperior. Neque enim miror, quod licet fortiſſimus in acie dimicans in hoſtium ſuorum manus inciderit; hæc enim maximorum ducum ſors eſt. Quod autem in prælio captus ſuam captivitatem ſuſtinuerit tanta cum dignitate; quod in carcere poſitus tanto in honore ab infidelibus habitus fuerit, ut illum in Regem ſuum vellent eligere; quod libertatem recipiens, ſimul omnem poteſtatem ſuam receperit, ſicut ab illius hiſtoria didicimus; quod antequam Paleſtinam relinqueret, reſtituerit, & ad hoſtium impetus propulſandos aptas reliquerit urbes, quibus potitus fuerat; quod in lectulo morti proximus Regem Tunetanum coegerit ad pacem redimendam iis conditionibus, quæ in tantam Galliæ gloriam cedebant, in quantum illius ceſſerant utilitatem: hoc vobis æque ac mihi ſtuporem poſſet injicere; niſi adderem, hos admirabiles fuiſſe effectus pietatis S. Ludovici, ejuſque eminentis virtutis. *P. Bourdaloue.*

S. Rex in barbaris licet captivus exigit reverentiam.

Quam ſublimes Religionis conceptus S. Ludovicus reliquit in horum infidelium animo, quibus ſua calamitas illum cognoſcendum tradidit in ſingulis circumſtantiis, quæ illam ſubſequutæ ſunt? Quam admirabilis eſt hic Monarcha, cum ex omnibus Regiis manubiis haud ægre neglectis, ac deſertis, nihil aliud petit, quam Pſalterium ſuum & in tanta calamitate non aliam inquirit, niſi in oratione conſolationem? In hac terribili fortunæ inverſione, quæ alium quemlibet abjeciſſet, aſſurgens ſuper omnes humanas tribulationes exclamat: *Nemo eſt præter te, Domine Deus, qui ita magnus ſit, ut merearis alios tibi ſervire, tunc etiam cum tibi ſervientes afflictionibus obruis.* Quam admirabilis eſt Sanctus hic Rex, cum ad compeſcendum ex Barbaris unum qui furore plenus pugionem pectori illius admovebat, illum coacturus, ut ipſum equitem faceret, plenus enim zelo, ac imperterritus illi reſpondit: *fac te Chriſtianum, & equitem te faciam.* Cum timens naufragium navis opibus onuſtæ, quam Reginæ Matris ſuæ Blancæ, & populi ſui zelus coegerant pro optatiſſimi Regis redemptione, protulit effatum hoc memorabile, dignius Apoſtolo, quam Rege infortuniis agitato: *neque hac jactura, neque alia qualibet me ſeparabit a fide, quam Deo meo debeo.* Quid plura? Illi ipſi Barbari illum admirati ſunt. Effecit, ut alii Religionem, quam profitebatur, reverentur, & illam amplecterentur alii, qui in pio hoc Monarcha videntes exempla patientiæ, generoſitatis, & adeo admirabilis ſubmiſſionis, ſibi perſuaſerunt, Religionem quam pius iſte Rex profitebatur, proculdubio illam eſſe, quam omnes debebant amplecti. Et certe dicere poſſumus cladem, & captivitatem S. Ludovici magis contuliſſe ei conſilio, cujus exitum retardare viſa eſt; quam efficere potuiſſent frequentes triumphi; Et ſicut arca Fœderis nunquam magis oſtendit poteſtatem Dei Iſrael, quam cum incidit in Philiſtinorum poteſtatem, Sanctus Rex noſter afflictus pro Jeſu Chriſto hunc magis honorificavit captivus, quam de infidelibus victor. *Ex Specimine Panegyricorum.*

S. Ludovicus æque magnus eſt in captivitate, ac in ſolio.

Poſtquam incidit in manus infidelium, quænam, ſententia veſtra, prima fuit illius cogitatio, ubi ſe in Sultani ædibus vidit? Fulmineus ictus adeo terribilis ei ſtuporem non affert: poſcit librum precum ſuarum adoraturus de more Deum, qui illum in hoſtium manus tradiderat. Illi omnia intentantur ſupplicia, niſi feciſſet execrabile ſacramentum, quod apoſtatæ a fide ſuggerebant. Verum ſæviſſimis potius ſeſe indignitatibus ſubjecit, quam deeſſe Deo, qui illi defuiſſe videbatur. Adeo magnus videtur in vinculis, ut quæſitum fuerit, utrum in Ægypti ſupremum magiſtratum eſſet eligendus. Subſcribit iis omnibus, quæ exiguntur in redemptionem Principum regni ſui, pro ſua vero nihil dare vult, libertatem ſuam non ita pretioſam judicans, ut eſſet redimenda, vel ſe beatiorem exiſtimans quatenus Jeſu Chriſti captivum, quam ſi de ſolio imperaret: ſententia Chriſtiano Principe digna & quam S. Ludovicus alte adeo inſculpſerat in corde ſuo, ut reverſus in Galliam juſſerit excudi numiſma cum epigraphe: *Vinctus pro Chriſto. P. Cheminais.*

Adoranda eſt Dei providentia erga S. hunc Regem in ejus infortuniis.

Hoc loco, adorabilis Dei Providentia, lumen deficit naturale! Mentem ſubjicere oportet edictis tuis, quæ æque juſta ſunt, ac mentibus noſtris impenetrabilia. Videre Regem magnum, & Sanctum ad hæc extrema redactum cum jamjam Turcas videretur coacturus ad deditionem Jeroſolymæ, & ſancta loca de illorum tyrannide jamjam ablaturus! Sed credo potius cælum totum attentatum fuiſſe huic ſpectaculo, videndi ſanctum Regem contra graviſſimos fortunæ ſequioris caſus obniti, qui in exercitus ſui clade, in unius ex fratribus ſuis morte, & aliorum carorum captivitate, in cæde principum aulæ ſuæ, & horrore mortis, quæ jugiter ob oculos ejus verſabatur, & quam Barbari in ſingula momenta intentabant, eamdem tuetur magnitudinem animi, eamdemque ſpiritus tranquillitatem, ita ut omnes animæ ſuæ vires colligens, quin vel metum, vel mœrorem oſtendat, conſtanter reſpiciat funeſtiſſimum objectum, & fervide petat librum precum redditurus Deo tributum orationum ſuarum eodem oris habitu, quo ſi eſſet in Gallia medius inter aulicos ſuos. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Fortitudo Regis hujus innitebatur magno Religionis fundamento.

Ex magni hujus Regis exemplo innoteſcit, virtutem magis, magiſque confirmari cum Religionis principiis innititur? Hoc ipſis etiam hoſtibus admirationem immiſit, qui illum eligere voluerunt in locum Principis ſui, qui in prælio ceciderat. Hoc denique Deo dignum ſpectaculum eſt, quod videtur admirabilius ſexaginta illis, quæ in illius canonizatione probata fuere. Sed ne pietatem ejus ab illius fortitudine ſeparemus, cum non potuerit earum terrarum victoriam conſequi, ſe earum Apoſtolum reddidit. Pace enim conſtituta, ſe in libertatem aſſertum videns cum reliquiis exercitus ſui, quinque annos in Syria permanſit ad ſolatium Chriſtianorum; ibique,

que, quis numerando aſſequi poteſt, quot animas ad fidem converterit, vel in fide confirmaverit cum Regiis admonitionibus ſuis, cum exemplis? Redimit captivos, tetra lue infectis opitulatur, his ædificat Xenodochia, chriſtianorum artes munit, ut eos ab omnibus Barbarorum inſultibus tueatur. Denique ſancta inviſit loca, quorum intuitu magis magiſque illius acuente virtutem, redit in Galliam novos habiturus militum delectus ad bellum inſtaurandum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Ludovici magnitudo in carcere magis quam in ſolio.

In noſtro Sancto Rege omnia auguſta ſunt, omnia magna; ſed magnitudo majori in luce in carcere, quam in ſolio coruſcat. Agit de redimendis iis, quos idem caſus captivitati ſubjecerat; de ſe autem non agit. Si ſe quatenus Regem conſiderat; credit caput Regis Galliarum nullo redimi poſſe pretio; ſed ſemetipſum quatenus Chriſtianum conſiderans, ſe beatiorem putat, quia dignus habitus eſt, qui captivitatis ignominiam pro Jeſu Chriſti gloria patiatur. Hoc in ſtatu tantam præſefert animi magnitudinem, ut illam victor ipſe admirari teneatur, & confiteatur gloriam Godefridorum, Balduinorum, Philipporum, Ricardorum hujus gloria toto cælo eſſe inferiorem. Hi non ſunt ſenſus hominis pſeudo-magnanimi, ſed Chriſtiani Regis, qui nihil facere poteſt ſua indignum majeſtate, aut Religione. Mors illi intentatur, ſi renuat facere juramentum, quod jubetur elicere. Sum, inquit ille, in manibus veſtris; penes vos eſt vitæ meæ arbitrium, ſed potius millies vitæ meæ jacturam patiar, quam injuriam inferam Domino, quem adoro, & cui ſervio. Generoſi Eleazari ſpiritu animatus mavult glorioſam mortem ſubire, quam vita frui, quæ fieret infamis propter ſcelus, quod illi proponitur. Artes mundanæ! Execrabiles artes ad fallendam per æquivoca hominum ſimplicitatem, Magnus hic Rex vos perhorreſcit; novit Chriſtianorum ſacramenta eſſe debere eſt, eſt, non, non; nec alia vult facere. Non vult ſalvam facere vitam ſuam ſimulationibus, quæ hominibus ſunt familiares, cogitationem a verbo ſeparare, & efficere, ut uno in ſenſu proferat lingua, quod in alio a corde intelligitur. Sancto Monarchæ nil tam videtur indignum, quam ad mentem diſſimulandam abuti munere linguæ, quod ad illam aliis aperiendam nobis largitus eſt Deus. *Auctor Recens.*

S. Ludovicus recens aggreditur bellum in Africa, licet Aſiaticum adeo male ceſſiſſet.

Poſtquam S. Ludovicus in Aſia omnes conatus exercuerit ſuos pro Dei gloria, & fidei propagatione, cum primum ingreſſus eſt iter; rurſus in Africam contendit, quo Chriſtianorum calamitas illum vocabat. Oblata illi ſpes Saracenorum convertendorum cum Regno Tuneti, oblivioni tradidit priores ærumnas, effecitque, ut iter arriperet tanto ardore, ut populorum illorum nuntiis reſponderet, ſe libenter redempturum converſionem Regis eorum, cujus ſpem illi faciebant, propriæ libertatis jactura; & hanc ob cauſſam ſe reliquo vitæ ſuæ ſpatio ſæviſſimam captivitatem perpeſſurum. Itaque non pericula, non itinerum difficultates, non terribiles inimicorum vires prohibere potuerunt, ne mare traduceret, ubi poſt Carthaginem captam, devictoſque populos, qui fecerant, ut Romanum Imperium contremiſceret; cum eum in ſtatum res eſſet adducta, ut in Tuneti mœnibus Crucis vexillum attolleretur, contagioſo morbo implicitus fuit; & Deo ſatis fuit zelum illius conſpexiſſe, quem maluit in cælis quam in terra remunerari. Hic moror cum Rege Sancto, potius ut illum in altiſſimo virtutis, conſummatæque ſanctitatis apice morientem intuear, quam ut de morte illius vobis verba faciam, cum videam mihi defutura verba pro argumenti dignitate ſatis ſignificantia illius conſtantiam, pietatem, ac divinæ voluntati ſubmiſſionem. Illum igitur conſidero in hoſtico, ſub tabernaculo ſtratum tetra lue tabeſcentem, ardenti æſtuantem febri, & obitum ſuum præſtolantem hilari, tutoque oris habitu, & Regio corde, quod non tunc ſolum in Dei manibus fuit, ſed ſemper adhæſit, & conjunctum fuit cum Dei ipſius corde in perfecta voluntati ejuſdem conformitate. Illum contemplor pacato animo exercitus, regnique ſui negotiis conſulentem; noviſſima Eccleſiæ Sacramenta ea pietate recipientem, quæ lacrimas elicit ex oculis eorum, qui fortitudinem ejus fuerant admirati; & tandem ultima verba, & noviſſima vitæ ſuæ momenta impendentem in admirabili ea lectione, quam filio, & ſucceſſori ſuo reliquit; poſt quam oculos in cælum ſuſtollens illuc mittit animam magnam ſimul victricem omnium deliciarum, & omnium mundi afflictionum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumentum.

Poſtquam magnus iſte Rex reparata libertate poſtliminio in Galliam reverſus eſt, donec ſe alteri præparat itineri profecturus in Africam ad Evangelium propagandum; nunquid ſe præparat Deus ad illum coronandum victoriis recentibus? an dicam potius recentibus calamitatibus? Cum Africa univerſa ad Sancti hujus Regis adventum trepidabat, dum Carthagine capta, Tunetanæ urbi imminebat; remoratur illum Deus, illum percutit, eique mortem præparat peccatoribus tantum reſervatam. Peſtifera lue perculſus, dolore confectus fuit videns exercitum ſuum tabe abſumptum interire. Extollit manum in cælum divina veneratus judicia, quin illi aut querimoniæ, aut murmuris verbum elabatur. Quominus corrupti eſſent mores exercitus ſui, non quæſivit in illis cauſſam ærumnarum ſuarum. Nihil fortaſſe Sancti præter ipſum erat inter Cruce ſignatos, & nihilominus ſuis tantum criminibus acceptas retulit tot calamitates. Neque ſe ſatis punitum arbitratus eſt, ſi mortem ſubiret traditus ſeveriſſimis divinæ juſtitiæ flagellis: voluit ſe morti proximum, & in agone poſitum in cinere poni, ut ibi in actuali chriſtianæ pœnitentiæ exercitio moreretur. De hoſtium proſperitate conqueſtus non eſt. In ſpeciem quidem deſtitutus a Deo, poſtquam ad ejus nutum arma ſuſceperat, in mortis lectulo, ubi alius quilibet ab eo vix ſeſe continuiſſet, ne in reverentialem quamdam querimoniæ ſpeciem erumperet, eo quod jam ſevera ratione fuiſſet exceptus; quin id cogitaret, acceſſivit filium ſuum, & ſecutus cordis ſui motus expirans præcipit illi; ut Deum diligat, ut huic uti Domino ſerviat, digno cui ſerviatur; ut regni potius, vitæque jacturam, quam divinæ gratiæ, patiatur; obliviſcitur ſtatus illius in quo eſt, animamque ſuam effundit in ſenſibus præſtantiſſimis, ac tenerrimis amoris Dei: nihil exacerbare valet cor ejus; neque prohibere, ne Parentis illum percutientis manum revereatur. *Pater Cheminais.*

S. Rex moriens dolet, quia efficere non potuit ut Salvator ea in barbara regione adoraretur.

In ea calamitate quæ accidit S. Ludovico in noviſſimo itinere, quod trans mare ſuſcepit, unicum doloris argumentum invenit, in quo vix ſolamen aliquod admittere potuit. Illud autem non fuit moleſtus ille morbus, quo percuſſus fuit, neque proxima ſibi mors, ſed videre, ſe infelicem eſſe non poſſe, quin aliquid de gloria Dei imminueretur. Si cum exercitu ſuo moriens efficere potuiſſet, ut verus coleretur Deus, adoraretur Filius ejus Jeſus Chriſtus, & Crux triumpharet, ille voti ſui compos fato fungebatur: ſed ex humanis decedere, quin videret cultum Regis Regum apud Nationes omnes conſtitutum: obire in terra, in qua Jeſu Chriſti nomen invocatum non eſt: videre Sancta loca avaritiæ, & impietati inimicorum nominis Chriſtiani tradita, & aſſequi non poſſe, ut ubique terrarum regnaret ille, a quo ipſe tantus Rex fuerat conſtitutus; hoc procul dubio fuit Principi religioſiſſimo maximum doloris incrementum, quod digne remunerari non potuit, niſi Dei ipſius magnificentia, pro cujus gloria totam vitam ſuam impenderat. *Idem.*

Salutaria monita, quæ S. Ludovicus jamjam moriturus tradidit filio.

Magnus hic Princeps, quin reliquum vitæ ſpatium querelis & doloribus tereret, qui vulgo humanæ vitæ finem faciunt, noviſſima vitæ ſuæ momenta impendit erudiens filium ſuum, eique artem potius ſerviendi Deo, quam hominibus imperandi tradens. Commendat illi, quod David moriens Salomoni commendavit, ut Deo fidelis eſſet, ac Religioni. Verum ſciens cor Regum eſſe in manibus Dei, adjurat hunc, ut ad majorem nominis ipſius gloriam heredis ſui cor, animumque diſponat. Divinam orat miſericordiam, ut pietas, quam illa in ſuo corde pepererat, migret in cor illius, quem in lucem edi voluit, futurum regni ſui ſucceſſorem; & feliciter compleat pium deſiderium, quod in corde ſuo accenderat, reparandi Domum Dei, & efficiendi, ut regnet Evangelium; quandoquidem ſibi negatum fuerat illuſtre illud, ſed ſanctiſſimum facinus ad optatum finem perducere. Petit denique pro Filio ſuo ſapientiam, qua ſolium ſuum in ſolida pietate confirmet, quæ efficiat ut in regionibus illius imperio ſubjectis juſtitia, & tranquillitas regnet, ut ibi veritas diligatur, caritas exerceatur, & in ſubditorum corde inflammetur. Se ſatis vixiſſe, quandoquidem a Deo evocabatur, & ſe non libenter ſolum, ſed cum voluptate, & gaudio ad Agni pedes ſuam coronam projicere ad magnificam immortalitatis ſedem evolaturum. *Recens Auctor.*

Piæ conſiderationes in S. Ludovici vita.

Ex locis omnibus vitæ magni Regis hujus liquet illi honorem ſtrenui, fortiſque Viri, non ſecus ac nobilis, & ſapientis laudem negari non poſſe, quoniam actionum ipſius gloria illam ſui generis, ac natalium obſcurat, atque tres omnes hujus mundi partes admirabilis virtutis ejuſdem teſtes fuerunt. Hoc probaturus peperciſſem argumentis, niſi injuſtum quoddam percrebuiſſet præjudicium, quod facit, ut vix homines ſibi perſuadeant, pietatem, & fortitudinem conſpirare poſſe, ſimulque in eodem in eminenti gradu inveniri. Poſſet etiam aliquis exiſtimare, ſatis eſſe, quod Princeps hic habeatur tanquam Sanctus, & Religioſus Monarcha, quin tamen ad Heroum gloriam aſpiret; ſed liquet ſatis per hoc ipſum voluiſſe Deum Sancti Ludovici exemplo docere, quomodo animæ, & ipſa virtus ſanctificari poſſint ut ſanctitas ſublimiori cum magnificentia eniteſcere videatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

S. Ludovici Sſctitas non obfuit quo minus omnibus modis magnus eſſet ſecundum Deum & homines.

Magnus hic Monarcha licet Sanctus eſſet ſecundum Evangelium, non defuit quo minus ſecundum mundum eſſet non ſolum Rex magnus, verum etiam unus ex maximis, qui ſceptrum geſtarunt. Dico magnum in omnibus ſtatibus, in quibus Regis celſitudo poteſt conſiderari. Magnus enim fuit in bellis, magnus in pace, magnus in proſperis, magnus in adverſis: magnus in Regni ſui regimine, magnus in ea ratione, qua cum alienis ſe geſſit, magnus in ſuorum etiam inimicorum æſtimatione: & hæc omnia per eam vitæ ſanctitatem, quæ in illius perſona effulgebat, & quæ velint, nolint mortales, ille character eſt, qui ipſum ſuper omnes Reges terræ elevavit. *P. Bourdaloue.*

Cõtra illud præjudiciũ quod qui ſecũdũ Evangeliũ vivũt nequeunt in mundo eniteſcere.

Non alio opus eſt argumento præter magni hujus Regis exemplum ad errorem ex illis extorquendum, qui æquo liberiores mundi placitis devoti ſunt; eum, qui canonibus Evangelicæ ſanctitatis ſe ſubjicit, nullo pacto in mundo poſſe eniteſcere. Licet enim hoc placitum ita verum eſſet, ut fallax eſt, dubitandum non eſſet, quid conſilii capiendum foret: & poſito etiam hoc principio, proculdubio omnibus ſæculi utilitatibus eſſet abrenuntiandum, & pro nihilo habendum, quidquid humana prudentia vocatur, ut ſanctitatem, quæ verus eſt Electorum character, amplecteremur. Ubi non liceat

virtu-

virtutem, & ſanctitatem ſimul conciliare, ſola ſufficere debet ſanctitas, & eadem contenti reliqua conculcemus, & cum Sapiente dicere valeamus, *Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* (*Sap.* 7.) Sed Providentia tua, Domine, ad hanc nos non redigit neceſſitatem, neque unquam virtutem noſtram adeo valido experimento probaſti. Quod coram te nos inexcuſabiles reddit, hoc eſt, quod certum eſt, nos recedentes a viis ſanctitatis, recedere ab eo, quod unice poteſt nos etiam ſecundum mundi ſententiam ſolide perfectos efficere, & dignos hominum laude, atque æſtimatione. Etenim ſanctitatem deferentes in mundi ipſius opinione evadimus homines vani, mendaces, & injuſtitia pleni. Sanctitatem auferte; in mundo nihil niſi ſpecies eſt, diſſimulatio, mendacium, & hypocriſis. Quid ergo faciendum eſt, ut ad ſolidam perfectionem perveniamus in variis ſtatibus, quibus ſumus impliciti? Magni hujus Regis exemplum ſequendum eſt. Sanctitas illum Regem magnum conſtituit; hæc eadem ſanctitas in tanta ſtatuum, in qua ſumus, varietate efficere nos debet irreprehenſibiles, & nulla humana cenſura notandos. In mundo tibi negotium eſt; habeas non ſecus ac Sanctus iſte pietatem; hæc ratio eſt cum laude negotium agendi, tranſigendique; Tibi eſt regenda provincia, tibi munera ſunt obeunda, liteſque componendæ: fac hæc omnia, ut Sanctus Ludovicus faciebat, in Evangelii ſpiritu. Dabit tibi Deus benedictionem ſuam, & mortalium etiam æſtimationem, laudeſque aſſequeris. *P. Bourdaloue.*

Magna S. Ludovici exempla ſi minus converſioni tuæ, damnationi tuæ conferent.

Vita, quam S. Ludovicus duxit in Aula ſua, & magna quæ nobis virtutis perfectæ reliquit exempla, ædificationi noſtræ ſunt profutura, vel aliquando aliquid noſtræ damnationi collatura. Ædificationi, inquam, noſtræ ſi illis uti noverimus; damnationi vero niſi illa fuerimus imitati. Rex humilis, Rex mortificatus, Rex pœnitens, licet alioquin Sanctus, hoc illud eſt, quod nos confundet. Non amplius *Regina Auſtri ſurget in judicio*, ſed Rex noſter conſurget adverſus nos, & in illa die omnem recipiens poteſtatem, & jura adverſus nos, ſententiam proferet contra laxitatem, ſuperbiam, teporemque noſtrum, contra noſtram duritiem erga pauperes, luxum, & amorem proprium. Quid reſpondebimus, & quas excuſationes afferemus? Si enim Sanctus hic Rex humilis eſſe potuit in ſolio, qui obſtat, ne humiles ſimus in ſtatu noſtro, ubi omnia nobis humilitatem inſpirant; & ubi ratione tantum opus eſt, ut humilitatem exerceamus; ubi, niſi conditionis noſtræ ſimus immemores, obliviſci non poſſumus neceſſitatis, quæ nos adigit, ut in humilitate vivamus? Si inter delicias Sanctus Rex iſte potuit pœnitens eſſe, quid vetat, quominus humiles ſimus in jugibus tentationibus, quibus angimur; in morbis, in ægritudinibus, in bonorum jactura, atque in tot caſibus, & adverſis, quibus ſumus obnoxii in ea ſtatuum varietate, in qua nos collocare divinæ placuit providentiæ? Nobis in mundo non ſunt tot obices ſuperandi, tot evitandi ſcopuli, tot hoſtes vincendi, quot magno huic Regi expoſito in mundo crebris, graviſſimiſque periculis. Nulla igitur conditio eſt, in qua nobis non liceat Chriſtianos, & perfectos eſſe Chriſtianos, dummodo velimus imitari ejus exemplum, & Sanctos fieri eadem facilitate qua magnus iſte Monarcha. *P. Bourdaloue.*

Quomodo S. Ludovici exemplo incitari debeamus.

Magni Regis hujus exemplum non nobiles tantum, principeſque mundi viros rubore ſuffundit; verum etiam omnia genera perſonarum. Quam enim ipſi cauſſam prætexere poſſumus, ne Evangelii placitis adhæreamus, quandoquidem intuemur tantum Regem ſeſe demittentem, ac humiliantem eo uſque, ut pauperibus ſerviat, & in auſteriſſima vivat mortificatione? Quid ſumus, ubi cum illo comparemur? Quid facimus quod ne longe quidem accedat ad ea, quæ ipſe fecit? Conferamus vitam noſtram cum vita illius, mollitiem noſtram cum illius auſteritatibus; modicam caritatem noſtram cum illius zelo, & fortitudine. Si exempla tua, Rex Sancte, non ſatis virium habent in cordibus noſtris, adde, ſi tibi placet, preces tuas; neque enim dubitamus quominus libenter illas adjicias, pro iis quibus contigit fuiſſe tibi ſubditos in terris, ut gloriæ tuæ ſodales eſſe valeant in cælis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

PRO ANGELI CUSTODIS,

S. Michaelis, & Angelorum Generatim, Panegyrico.

MONITUM.

SI animi grati ſignificatio ab omnibus univerſe Fidelibus ſingularem erga Cuſtodes Angelos religionem requirit, hanc Concionatores ſingulariter præſtare tenentur duplici ex cauſſa; quarum altera eſt, quod Spiritus Sanctus, qui illos ad loquendum inducit, beatorum horum ſpirituum opera utitur, ad illis ſuppeditanda lumina, ſententias, & verba, quæ ad Auditores permovendos ſunt accommodatiſſima; ratio autem altera hæc eſt, quod in concionandi munere vix, & ne vix quidem Orator ſecum diſpenſare valet, quominus hujus argumenti Sermonem inſtituat propter frequentes occaſiones, quæ occurrunt enuntiandi eorum beneficta, & merita erga humanum genus in iis feſtis diebus, quod Eccleſia in eorum honorem concelebrat; quæ ſeorſim Sancto Michaeli diem, alterumque Angelis Cuſtodibus conſecrat. Sed ne tituli multiplices fiant, operæ pretium duxi in hiſce collectaneis meis eam rerum copiam afferre ſimul, quæ utrique inſerviat argumento; ita tamen ut utrumque non permiſceatur, quod nonnullis concionatoribus accidit, qui Sancti Michaelis laudes celebrantes fere de Angelo Cuſtode loquuntur, eo quod ſatis uberi rerum copia ad argumentum ſuum exornandum deſtituuntur.

Illud tamen animadvertendum eſt, cum Sermo de Tutelaribus Angelis noſtra magis interſit, ita me fuſius hoc argumentum perſecutum fuiſſe. Quoad modum vero argumenti hujus pertractandi illud prætermittendum non eſt, hoc non tam eſſe debere elogium aliquod, & Panegyricum, quam adhortationem ad honorem adhibendum, agendaſque beatis his Spiritibus gratias, eorumque ſubſidium implorandum in neceſſitatibus; ideoque ſedulo deſcribendas eſſe curas, vigilantiam, & affectum, quo illi obeunt munus ſibi commiſſum a Deo; & quænam ſit felicitas noſtra, qui tanto duce, & Patrono digni ſumus inventi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Sermonum hujus Argumenti Structuræ.

Angelis ſuis mandavit de te; ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Pſalm. 90.

I. IN celebritate Sanctorum Angelorum Cuſtodum, quam hodierna die recolit Eccleſia, admirationis, amoris, & imitationis argumenta deprehendimus. 1. Admirationis infinitæ bonitatis Dei, qui ſatis non eſſe ratus homini dediſſe univerſa, quæ in Mundo conſpicimus, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, (*Pſalm.* 8.) voluit etiam illi horum Spirituum famulatum præſtare. 2. Amoris propter exceſſum divinæ bonitatis erga humilem hanc creaturam, qualis eſt homo. 3. Imitationis ſecundum exemplum obedientiæ, quam Angeli Sancti præſtant imperiis Creatoris ſui, quin naturæ noſtræ vilitatem perhorreſcant.

Pro priori puncto; re adhuc integra conſiderari poſſunt Angeli tanquam Spirituales Intelligentiæ, & Spiritus ab omni materia expediti. Hac de cauſſa ex omnibus Creaturis Angeli propiores ſunt divinæ Majeſtati, ejuſque eſſentiæ ſimiliores. Cum minime conſtent ullis corporeis qualitatibus, non ſunt, uti nos morti obnoxii; nulla in illis oritur mutatio propter aeris, & elementorum viciſſitudines, cum ſint ſuapte natura immortales. Illud vero maxime mirandum eſt, quod Deus tantam habuerit bonitatem propter hominem, eumque peccatorem, ut illi cuſtodem, & præſidium imbecillitatis ejus creaturam adeo perfectam, eximiamque aſſignaverit.

Pro puncto altero in tanto divinæ bonitatis exceſſu nobis immorandum non eſſe arbitror in ſterili admiratione, ſed tranſeundum ad intimos ſenſus teneræ Caritatis. Ita eſt, ardenter nobis amanda eſt infinita bonitas, quæ ornatiſſimos Regni ſui Principes, aulicoſque ampliſſimos coegerit, ut nobis invigilent, atque ut ita dicam, nos famulorum inſtar ſubſequantur, noſtris ſervientes commodis, quin a nobis ſperare poſſint quidquam in grati animi argumentum propter aſſiduitatem ſuam, niſi mœrorem, ac moleſtiam, ſi eſſent hujuſmodi animi perturbationibus pares. Debemus etiam per animi grati ſenſum amare, & colere ſpiritus hos adeo perfectos, & numeris omnibus abſolutos, ideoque tantum amabiles. Illud vero magis permovere nos decet, quod Angeli iſti tantam erga nos habent caritatem, quantam ipſi cognoſcere poſſumus ex bonis officiis, & ſubſidiis, quæ in dies ſingulos nobis præſtant. Etenim ex ipſo natalium noſtrorum primordio incipiunt gerere curam noſtri; a nobis repellunt, quæ eſſent obfutura, parentibus noſtris bonam mentem ad utili-

tatem